QUID AUGUSTUS COMTE
DE SUÆ ÆTATIS PSYCHOLOGIS
SENSERIT

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI PROPONEBAT

Georgius DUMAS

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
AGREGATUS PHILOSOPHIÆ, DOCTOR MEDICUS PARISIENSIS
PHILOSOPHIÆ PROFESSOR IN COLLEGIO CHAPTAL
OFFICINÆ PSYCHOLOGICÆ PRÆPOSITUS APUD CLINICEM MORBORUM MENTIS
IN MEDICINÆ FACULTATE

LUTETIÆ PARISIORUM
EDEBAT FELIX ALCAN, BIBLIOPOLA
CVIII, VIA SAINT-GERMAIN, CVIII
M D CCCC

QUID AUGUSTUS COMTE

DE SUÆ ÆTATIS PSYCHOLOGIS SENSERIT

CHARTRES. — IMPRIMERIE DURAND, RUE FULBERT.

QUID AUGUSTUS COMTE

DE SUÆ ÆTATIS PSYCHOLOGIS

SENSERIT

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI PROPONEBAT

Georgius DUMAS

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
AGREGATUS PHILOSOPHIÆ, DOCTOR MEDICUS PARISIENSIS
PHILOSOPHIÆ PROFESSOR IN COLLEGIO CHAPTAL
OFFICINÆ PSYCHOLOGICÆ PRÆPOSITUS APUD CLINICEM MORBORUM MENTIS
IN MEDICINÆ FACULTATE

LUTETIÆ PARISIORUM
EDEBAT FELIX ALCAN, BIBLIOPOLA
CVIII, VIA SAINT-GERMAIN, CVIII
M D CCCC

DOCTISSIMO PROFESSORI ET OPTIMO VIRO

VICTORI BROCHARD

ACADEMIÆ SCIENTIARUM MORALIUM ET POLITICARUM SOCIO

HOC OPUSCULUM

REVERENTIS ET GRATI ANIMI PIGNUS DEDICABAT

GEORGIUS DUMAS

EJUS OLIM IN SCHOLA NORMALI DISCIPULUS

PROŒMIUM

Sæpe, sed immerito, dicitur Augustus Comte ad psychologicas res se numquam applicasse; constat enim psychologiam quamdam ab illo informatam esse, quæ et Cousinianæ psychologiæ dissimillima est, et Condillaceæ ideologiæ; quin etiam, ipse doctissimos viros, inter quos nominatim Petrus Georgius Cabanis et Franciscus Josephus Gall proferuntur, sibi ad psychologica studia viam, ut ita dicam, aperuisse fatetur.

Quæ fuerit hæc psychologia Comtiana non hodie inquiremus; id unum sequemur: quid senserit Augustus Comte, seu de philosophis quibuscum dissederit, seu de philosophis qui ei viam ad psychologiam primum aperuerint. Rem igitur omnem, in quatuor partes, ita componemus et digeremus:

I. In prima parte, separatim exponentur omnia quæ in inimica schola reprehendit;

II. In secunda, summatim quæ in omnibus pariter inimicis scholis reprehendit;

III. In tertia, omnia quæ in illorum virorum libris, qui Augusti Comte quasi magistri fuerunt, quibusque ipse, velut ducibus, est in psychologicis rebus usus, vel reprehendenda, vel probanda existimavit;

IV. Denique, in quarta parte, qua concludetur dispu-

tatio, ostendam, si quid psychologiæ Augustus Comte peculiare ac novum attulerit, id omne ex locis ipsis, in quibus ceteros philosophos aut vituperat aut perpendit, ita excerpi posse ut Comtianam psychologiam jam liceat quasi adumbrare.

Id est hujus libelli argumentum, ea hujusce disputationis ratio.

I

Paucis primum verbis ad cartesianam philosophiam revertit Augustus Comte ut Cartesium ostendat, non satis metaphysicis vinclis liberatum, eamdem metaphysicam rationem in rebus mentis adhibuisse quam a rebus naturæ abegerat: « Après avoir, inquit, comme il le devait, institué une vaste hypothèse mécanique sur la théorie fondamentale des phénomènes les plus simples et les plus universels, il étendit successivement le même esprit philosophique aux différentes notions élémentaires relatives au monde inorganique et y subordonna finalement aussi l'étude des principales fonctions physiques de l'organisme animal. Mais son impulsion réformatrice s'arrêta brusquement en arrivant aux fonctions affectives et intellectuelles dont il constitua formellement l'étude en apanage exclusif de la philosophie métaphysicothéologique à laquelle il s'efforça vainement de donner sous ce rapport une sorte de vie nouvelle[1]. »

De quo errore Cartesiano non jam multis disseremus; sæpe enim, æquales Augusti Comte æstimando, habebimus locum in quo errorem eumdem reprehendamus; necesse erat tantum ut maximum illud vitium Cartesianæ philosophiæ, circa disputationis nostræ initia, notaretur quippe cum non Cartesio proprium sit, sed plurimis contra discipulis, et in ejus ætate et in posteriore, commune videatur.

« Il était indispensable, ici, inquit Augustus Comte,

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 531. Ex secunda editione.

de caractériser sommairement cette situation primitive parce qu'elle est essentiellement restée la même pendant le cours des deux derniers siècles, malgré les immenses progrès des diverses études positives qui ne faisaient qu'en préparer graduellement l'inévitable transformation générale[1] ».

Quibus positis, varias æqualium censuras, id est propriam disputationis hujus materiem, aggredior.

Summatim redarguit refellitque[2] sententias trium scholarum quarum eo tempore plurimum valebat auctoritas, scilicet scholæ eclecticæ, quæ ab illo appellatur germanica schola, scholæ Caledonicæ, et scholæ ideologicæ, quam sæpius Gallicam nomine dicit. Quas contra universas multa verba fecit, quibus verbis singulas pariter offensas credit; sed nullo modo ad omnes pertinent ea quæ ab illo objiciuntur[3]; ad certas enim quasdam opiniones pertinent, ad certos quosdam philosophos. Cum etiam in omnibus quos scripsit libris[4] aliquot scholas aut aliquot philosophos singillatim, propter quædam vitia, quæ aut his scholis, aut his philosophis erant propria, carpserit, putavi, ut res in luce clariore ponerentur, illas undique prius conferendas esse vituperationes quæ ad scholam unam, aut ad philosophum unum pertinere viderentur, quam ad illas accederem quæ simul ad tres quas supra nominavi scholas, pariter pertinerent.

I

Cum de philosophia positiva librum priorem conficiebat[5], tum summa erat eclecticæ scholæ auctoritas.

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 332.
2. In 45e leçon du *Cours de Philosophie positive*.
3. In *Cours de Philosophie positive*, III, 2e édit., p. 538.
4. In *Cours de Philosophie positive*, *Système de Politique positive*, *Lettres*.
5. Anno MDCCCXXX.

Gloriam jam adeptus, Victor Cousin hunc librum ediderat[1] qui *Fragments Philosophiques* inscribitur. Ille, Caledoniorum jam auctoritatem secutus, rebus quæ conscientiæ subjiciuntur eam in inquirendo adhibere voluerat rationem, qua utuntur homines cum semet ipsos introspiciunt, et observatione intima sui uti, velut observatione objectiva rerum physiologi utuntur. Sed licentiam sibi concessam esse putavit progrediendi, more germanico, ultra hunc ordinem factorum quæ conscientiæ subjiciuntur et ab illa ratione profectus, quod nihil aliud sit humana ratio quam manifestatio rationis universalis, a psychologia ille ad ontologiam transire est conatus[2].

Cautior autem, modestiorque fuit discipulus ejus, Theodorus Jouffroy; qui quidem nihil aliud fecit quam pleraque Caledoniorum de psychologia decreta consequi[3].

Id præcipue contendit, a physiologia psychologiam sejungendam esse; demonstrat quam sit necesse ut ars se introspiciendi sit psychologiæ et principium et fons; atque, si quid de substantia aut de absoluto etiam nunc in controversia est, id differri in posterum flagitat; ita ut, contra physiologos simul ac contra metaphysicos, psychologiæ causam defendere voluisse videatur.

Maturius vidit Victorem Cousin Augustus Comte; quem ejus scholis interfuisse jam ante annum millesimum octingentesimum vicesimum credimus; nam in epistula ad P. Valat[4], est de Victore Cousin locutus, utpote qui

1. Anno MDCCCXXVI.

2. In *Préface des Fragm. philosophiques*, 1826.

3. In articles réunis plus tard sous le nom de *Mélanges*. Préface de la traduction des *Esquisses de Philosophie morale de* Dugald Stewart, 1826.

4. « Quant à M. Cousin, c'est bien différent; il est bien loin de comprendre la portée des idées mères du philosophe de Kœnigsberg. Il s'est fait ici une sorte de réputation parmi les jeunes gens étrangers aux connaissances positives, en délayant et en exagérant quelques-unes des vues les moins importantes de la philosophie allemande (1819-1821) et

eum olim audivisset; verba tamen admirationem denuntiant nullam. Quin etiam, hoc reprehendit in illo, quod nihil fecerit aliud quam Germanicorum philosophorum sententias aliquot, non ita magnas, quasi in uberiore inanium verborum flumine diluisse; sed multo acrius queritur quod ita Victor Cousin discipulos informaverit ut, in scientia positiva omnino imperiti, aliquid novi nullo modo excogitare sed tantum inflato orationis genere uti possent[1].

Postea[2], cum memoriam repeteret hujusce temporis, quo omnia primum Victori Cousin bene succedebant, illum « fameux sophiste[3] » fuisse dicebat.

Diutius autem Theodorus Jouffroy Augusto Comte ignotus fuit; et in dubio ponimus num ante annum millesimum octingentesimum vicesimum octavum, de Theodoro Jouffroy, aliquid noverit. Sed tunc ei data est occasio ut et nomen ejus posset cognoscere et doctrinam. Nam cum Franciscus Josephus Broussais respondere voluisset ad duos libros, unum Victoris Cousin, alterum Theodori Jouffroy, utrumque anno millesimo octingentesimo vicesimo sexto editum[4], vim magnam in controversia adhibuit[5]. Ostendit Theodoro Jouffroy corporeas causas e quibus res mentis oriuntur nullo modo cognosci introspectu posse; Victori Cousin res quæ supra naturam humanam excedunt non cognosci posse ratione humana, quæ nihil aliud sit quam res

ses succès sont dus principalement à ce qu'il possède bien une des parties essentielles de l'orateur de Cicéron, la mimique ».

In *Lettres à Valat*, p. 148, anno MDCCCXXIV.

Victor autem Cousin publicas scholas non explicavit post annum MDCCCXXI.

1. In *Lettres à Valat*, p. 148.
2. Anno MDCCCXXXXII.
3. In *Cours de Philosophie positive*, III, 539.
4. Fragments philosophiques et traduction avec préface de Dugald Stewart.
5. In préface de l'*Irritation et de la Folie*, 1828.

humana et ipsa. Tunc primum de Theodoro Jouffroy aliquid audivit Augustus Comte, et fortasse propter Franciscum Broussais ejusque librum; de hoc libro enim, omnibus rebus diligentissime perpensis, copiose disputavit[1]; in qua disputatione tamen mediocriter doctus esse videtur, qui crediderit psychologiam eclecticam a Germanicis philosophis totam manavisse, quod non est utique verum, cum Caledoniis multa Victor Cousin debuerit; Theodorus autem Jouffroy, utpote qui Thomæ Reid et Dugaldi Stewart libros in gallicum sermonem transtulerit, vere est Caledonius philosophus. Utrumque Augustus Comte, uno atque eodem nomine, psychologum appellat; nam quod est accurate notandum, et psychologia et metaphysice, velut verbis eadem significantibus, utitur. « Quelques hommes, ait, ont essayé de transplanter parmi nous la métaphysique allemande, et de constituer, sous le nom de psychologie, une prétendue science entièrement indépendante de la physiologie, supérieure à elle, et à laquelle appartiendrait exclusivement l'étude des phénomènes spécialement appelés moraux[2] ». Ita illa verba, psychologiam, scholam Germanicam, metaphysicem, prope idem valere putat; metaphysicei tamen voci communiorem plerumque sententiam subjicit, atque illa, ut designet omnes ontologiæ species, utitur.

Quod cum ita sit, facile æstimari potest cur philosophus ille submoverit id quod psychologiam nominat, nos autem scholam eclecticam nominamus.

Is enim philosophiam Victoris Cousin et Theodori Jouffroy nihil esse putat nisi quoddam metaphysicum vel etiam theologicum interpretandi res genus, contra quod est tota philosophia positiva.

1. In *Journal de Paris*.
2. In *Système de Politique positive*, IV, appendice, p. 217.

Victor enim Cousin, apud Franciscum Broussais[1], docet rationem cujus sumus participes, a deo in nos emanavisse atque inter deum et nos, quasi mediatricem esse. Theodorus Jouffroy, cum timidior moderationem adhibeat et ad scientificam spectet psychologiam, sæpissime tamen errat quia, metaphysicorum more, propriis virtutibus mentis, peculiarique animi potentia, vult res interpretari[2]. In locis quæ a Francisco Broussais excerpebantur, etiamsi excerpserit ille pleraque carptim et parum diligenter, Augustus Comte tamen mox agnovit metaphysicum hominem qui virtutibus interpretari solet facta quæ rectius aliis factis quæ ante fuerint interpretanda sint. Jure igitur quodam, metaphysice cum psychologia aut Theodori Jouffroy aut Victoris Cousin ab illo confunditur.

Hi enim philosophi ei videntur quasi hereditatem theologicæ philosophiæ excepisse[3], cujus metaphysicem existimat novam quasi formam esse ; nam sive agente deo res interpretantur, sive agentibus viribus occultis, interpretatio semper vana est, vel potius nulla est interpretatio. Cum agnovisset illas inclinationes et inutiles et perniciosas, quibus indagatio veri facta est et infelix et vana, scripsit Augustus Comte : « Quoique ces tentatives rétrogrades ne soient pas susceptibles d'arrêter le développement des connaissances réelles, puisque l'enthousiasme passager qu'elles excitent encore ne tient qu'à des circonstances passagères et accidentelles, il est certain qu'elles exercent une influence funeste, en retardant dans beaucoup de têtes le développement du

1 In *loc. cit.*, I, p. 184.

2. Exempli causa vide : *Mélanges*, p. 346, 1re édition. « L'homme a non seulement des capacités spéciales comme chaque chose en a, et par exemple celle de penser, de se souvenir, de se mouvoir, mais de plus il gouverne ses capacités, c'est-à-dire qu'il les tient dans sa main et s'en sert comme il veut. »

3. In *Système de Politique positive*, IV, appendice p. 218. « Nos psychologues à l'exemple de nos théologiens, leurs prédécesseurs .... »

véritable esprit philosophique, et en consumant en pure perte une grande activité intellectuelle[1] ».

Quod igitur in metaphysice inest semper viva theologicorum mens et ratio, huic psychologiæ dogmata duo, omnium vanissima, imponuntur.

Primum, quod falso creditur homines ab animalibus multum natura abesse, sejunguntur ita animalia et homines[2] ut eæ leges, quibus vis ingenii regitur, ad animata omnia extendi nullo modo possint. Augustus autem Comte de animalibus quoque vult fieri psychologiam, qua ad humanam psychologiam confirmandam ac probandam, quasi obrussa quadam, utamur; neque quidquam de hominibus unquam asseverari, quod antea non fuerit, apud animalia intellectu quodam prædita, compertum[3].

A theologia etiam metaphysicis illud imponitur principium, quod nostrates vocant « le moi » unum et semper idem[4], quo sublato, nulla ratione animarum immortalitatem demonstrare possimus[5]. Unde fit ut metaphysica ista psychologia quæ, injuria, hominum naturam divulsit ab animalium natura, non possit intellegere quæ sit illa tam varia hominum et tam multiplex natura.

Ea enim psychologia non dispicit subtiliter partes hujus sensus ac notionis hujus quæ est in uniuscujusque

1. In *Système de Politique positive*, IV, appendice, p. 217-218.
2. In *Cours de Philosophie positive*, III, 544 et 531 note ; quamquam haec ad Cartesium et metaphysicos multos ex sententia Augusti Comte spectare videntur, ad Theodorum Jouffroy, inter æquales proprie spectare possunt, qui scripsit in *Mélanges*, p. 272 : « On aurait tort de conclure que la psychologie est la science de ce composé de matière et de forces diverses, que le même nom d'homme sert à distinguer des autres êtres organisés. Il y a dans ce composé deux choses distinctes : l'homme et l'animal ; la physiologie étudie l'animal, la psychologie l'homme... ... en séparant l'homme de l'animal, nous ne faisons que constater une distinction qui est dans la nature des choses ». Anno MDCCCXXIII.
3. *Id.*, 580, et præsertim in *Système de Philosophie positive*, I, 671.
4. Cf. Jouffroy, *Mélanges*, p. 271 ; Cousin, *Fragments philosophiques*, p. 240-241 ; Cours de 1816 (*De l'identité du moi*)
5. In *Cours de Philosophie positive*, III, 544.

nostrum animo de æquabili temperatione qua compensantur tam multæ animi nostri et tam diversæ inclinationes[1]; itaque mentem credit illa esse velut metaphysicum quoddam principium quod unicum sit et simplex; illam autem levissimam animi temperationem adeo variam ut sit nunquam eadem ac sibi similis, neque videt, neque vult videre aut scrutari.

Quin etiam, psychologi isti, apud quos plurimum valebat auctoritas eadem theologiæ, non modo entitatem fecerunt e re ficta, sed etiam animalibus inesse entitatem illam negaverunt[2]. « Les psychologues, ait, ont vainement voulu faire de cette idée, ou plutôt de ce sentiment, un attribut exclusif de l'humanité. Il est la suite nécessaire de toute vie animale et il appartient aussi aux animaux, bien qu'ils n'en puissent disserter. Sans doute un chat ou un autre vertébré, sans savoir dire « je » ne se prend pas pour un autre que lui-même[3] ».

Itaque mentem humanam temere a reliqua natura sejungere, atque homines ab animalibus ceteris; ex re ficta rem fabricari simplicem; negare, licet ipsa rerum vi evincantur, notionem sui animalibus inesse; denique in his erroribus versari propter quamdam theologiæ auctoritatem, aut occulte, aut aperte, at certe semper agentem, hoc est metaphysicorum philosophorum opus.

Postremo, psychologicæ scholæ omnia quæ sunt de vita ac moribus decreta, Augustus Comte judicat et ementita magis esse, et magis falsa, et pleniora erroris quam quæ sunt de ipsa psychologia.

Quid est enim hæc officiorum notio animo insita, quam unusquisque nostrum in agendo unice sequitur? quid in ea ad rationem? ea quidem nihil est profecto nisi flatus

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 545.
2. Cf. Jouffroy, *Mélanges*, p. 270.
3. In *Cours de Philosophie positive*, III, 545.

vocis et mendacium et fraus[1]. « La prétendue disposition permanente de chacun, inquit, à diriger exclusivement sa conduite d'après l'idée abstraite du devoir, aboutirait finalement à l'exploitation de l'espèce par un petit nombre d'habiles charlatans[2] ».

Sed pariter exploditur ab Augusto Comte ac rejicitur hæc notio animi omnino liberi, sine qua officii notio esse nullo pacto possit[3]. Si qui enim acceperint gravissimam illam humanæ mentis libertatem, iis non jam licebit credere humanam mentem lege unquam vere teneri; nec pueros disciplina ad humanitatem institui posse; nec temperari civitates; nec præsertim informari positivam illam philosophiam quæ ad id ipsum instituitur ut vires novæ reficiantur societati, et eadem de societate et politice doctrina ab omnibus civibus accipiatur.

Quæ quidem omnia, si historico more pependerimus, non jam satis vera esse judicabimus, aut certe contra germanicos philosophos dici, non adversus hos de quibus supra diximus, psychologos. Liberam esse mentem Victor Cousin sane putabat; in scholis tamen illis anno millesimo octingentesimo duodevicesimo habitis, quibus adfuisse Augustum Comte credimus, Victor Cousin adversus notionem vacuam officii quam sub bonum subjiciebat multa dixit; itaque vituperationibus suis altius Augustus Comte attingit, et Emmanuelem Kant etiam consequitur.

Nunc igitur, propter hanc controversiam, ad rem in Augusti Comte philosophia et gravissimam et maximam adducimur. Id enim sequitur socialis illa philosophia ut regantur homines non jam spirituali ecclesiæ summique pontificis dominatione, sed spirituali dominatione scientiæ, salvis tamen et permanentibus, non quidem fide

1. Augustus Comte verbo « mystification » utitur.
2. In *Cours de Philosophie positive*, III, 353.
3. Cf. Cousin, *Fragments philosophiques*, 173.

ipsa christiana, verum catholicæ fidei sacris et sacramentis omnibus; quin etiam, salvis et permanentibus catholicorum ad informandam et regendam societatem studio ac doctrina. Augustus enim Comte, non aliter quam catholici jubet populorum ingenia ad obsequium hominum informari quos penes est auctoritas; respuit et ipse investigandi cupiditatem et consuetudinem explorandi omnia libere, aut de dogmatibus disputandi; postremo hæc omnia repudiat quibus occasio aperiendi se dari possit rationi uniuscujusque. In politice positiva, in positivo catechismo, et in omnibus de societate libris, consilium est non tam mutare totam catholicorum philosophiam, quam expellere regno effetam jamdiu et fractam ecclesiam, ut rerum summam deferat potentiæ cuidam validissimæ, de qua nulla possit esse controversia.

Metaphysicos autem veluti Victorem Cousin et Theodorum Jouffroy, quos ipse psychologos nominat viros, ita respondisse putat Augustus Comte iis quæ de moribus et de societate quæruntur, ut nullum sit responsum aliud quod sibi minus constet. Nam cum mentem homini esse omnino liberam docent, quæ mens sibi ipsa et suos mores et disciplinam suam informat[1], dogmaticam unquam fieri posse philosophiam negant; cum autem mentem unam esse et semper eamdem existimant, seu propter id quod de animo revera sentiunt, seu propter decreta metaphysica quæ perinde ac dogmata accipi ab omnibus volunt, præcipue theologiæ decreta ipsi imitantur. In his vero contrariis rebus ac repugnantibus semper versatur protestantismus.

Reperiuntur eadem in eorum politice; nam et monarchiæ constitutionali et auctoritatis principio favent, ut cives impugnent novarum rerum cupidos; ab iisdem tamen civibus mutuantur consuetudinem omnia libere et

1. In *Cours de Philosophie positive*, III. 566.

penitus introspiciendi[1], quotiens impugnant homines nimium antiqua probantes[2]. Quod est politices genus mixtum et adulterinum et philosophiæ: philosophorum etiam genus temporibus illis proprium, quibus nondum facta est philosophia quæ mox facienda videtur: « Quand il faut construire, inquit, on sent bientôt la profonde inanité de toutes ces écoles qui se bornent à protester sans cesse contre les institutions théologiques en admettant néanmoins leurs principes fondamentaux... Déjà les psychologues proprement dits ont essentiellement succombé avec la royauté constitutionnelle d'après l'intime affinité de ces deux importations protestantes[3] ».

Hæc sunt argumenta, quæ ad philosophiam et societatem spectant, quibus Augustus Comte psychologiam rejicit.

Laudes vero metaphysica schola consequitur nullas, et vix ei gratiam habere videtur quod aliquid egerit adversus ideologorum empiricam doctrinam[4].

Sequitur ergo ut psychologia eclectica nihil aliud sit quam inanissimum studium, quoniam a rebus abstrahatur et inficiatur sensu theologico, et ad societatem intuentibus hæc eadem semper videatur et periculi plena et discordans secum.

Cum non perspicue dicantur hæc omnia, nec videatur exquisita semper ac subtilis Augusti Comte fuisse de his

1. In *Lettres à Valat*, p. 148. De Victore Cousin: « Toute son influence n'aboutissait qu'à former des énergumènes et des déclamateurs, persuadés que, sans avoir rien étudié sérieusement, ils étaient placés par son cours à la source de toutes les connaissances humaines. Comme cette espèce d'esprits n'est bonne qu'à employer révolutionnairement et qu'une telle action n'est plus de saison, je crois qu'on a sagement fait de fermer son cours. »

2. In *Cours de Philosophie positive*, IV, 82 sqq.

3. In *Système de Politique positive*, I, 73. Hoc, anno MDCCCLI, Augustus Comte scribebat.

4. *Cours de Philosophie positive*, III, p. 551.

rebus eruditio, vituperationes tamen patent ita late ut eis fidem adjungamus.

2

Cum Augustus Comte litteris doctrinam suam mandare incepit, vix primum, apud nostrates, in notitiam perveniebant, inter Caledonios philosophos, et Thomas Reid et Dugaldus Stewart. Theodorus Jouffroy Thomam Reid in gallicum sermonem transtulit[1] quem primus Petrus Royer-Collard ad nostram cognitionem in scholis suis attulit; Dugaldi Stewart autem libros fere omnes jam ad nostram cognitionem attulerant complures doctissimi viri, inter quos et ipse Theodorus Jouffroy. Illa autem Caledoniorum psychologia, jam esse scientifica psychologia videtur; nam de animæ natura nulla verba fecit nec voluit facere; tantummodo in genera varia mentis res distribuit, easque ad leges certas reduxit. Verumtamen Augustus Comte, ut ipsius verbis potest intellegi, Thomam Reid aut Dugaldum Stewart legisse nunquam videtur; et eorum quæ fuerit philosophia non novit nisi per alios et summatim. Neque, cum Caledonios philosophos commemoravit, Thomam Reid intellexit, neque Dugaldum Stewart, neque illos etiam qui inter gallicos ab utroque sunt profecti; sed hos tantummodo caledonios intellexit quorum volumina et evolvit, et evolvisse, propter fructum quem ex hac lectione præceperat, lætatus est, Davidem Hume, Adamum Smith et Adamum Ferguson. Hæc enim leguntur in epistula quam mittebat ad Joannem Stuart Mill : « Je suis fier de me sentir, grâce à vous, en continuité avec l'école écossaise, quoique je n'en connaisse que les principaux penseurs,

1. MDCCCXVIII-MDCCCXXXVI.

Smith, Hume et Ferguson[1] ». Ex altera epistula intellegi potest Augustum Comte, admodum juvenem, multum ab illis philosophis accepisse : « Cette sympathie spontanée, ait, a été très prononcée en moi dès ma jeunesse... je n'oublierai jamais combien ma propre évolution a été redevable surtout à quelques lumineuses inspirations de Hume et d'Adam Smith ».

Igitur, quotiens de Caledoniis agitur, vitandus est error, et neglegendi Thomas Reid et Dugaldus Stewart; vidimus enim id Augustum Comte effugisse quo modo psychologia Theodori Jouffroy a caledonio fonte caderet, cujus rei ignoratio cum Thomæ Reid et Dugaldi Stewart ignoratione valde congruit; itaque non de illorum facili et ingeniosa psychologia quid sentiat dicet, sed de philosophicis et psychologicis et moralibus doctrinis horum qui proximi ante illos fuerant. Videmus autem, apud eum, in illis fuisse et auctoritatem et gratiam.

Nulla re Augustus Comte in Davidis Hume philosophia magis delectatus est quam illa animi conformatione positiva. Id enim quod positivis philosophis proprium est, a nullo melius expressum esse, duodevicesimo sæculo, quam a Davide Hume judicavit; itaque eum libentissime, ejusque opera maximis cum laudibus memorare solitus est.

Explicaverat David Hume notiones nostras generales de justo et injusto, de bono et malo et ceteris similibus non ex immutabili quodam principio sed ex consuetudine et utilitate nasci, neque necessarias esse neque universas[2]; unde fieri putabat omnia in orbe idearum et

1. In *Lettres à St. Mill*, p. 121.

2. In *Recherches Philosophiques sur les principes de la morale.* Vide præsertim *De la justice*, p. 40, et *De la Société politique*, p. 83, *Œuvres philos.*, V[e] vol. Ad exemplar hæc de justo cogita : « Si par convention l'on entend un sentiment de l'intérêt commun que tout homme éprouve au dedans de lui-même, qu'il remarque dans ses semblables et qui le porte à concourir avec les autres à un plan général, à un

societatum humanarum relativa esse. Ea autem Davidis Hume opinio, quam pariter Augusto Comte carissimam fuisse novimus, positivæ philosophiæ est principium. Itaque, anno millesimo octingentesimo duodevicesimo, hic ad P. Valat epistulam idcirco mittebat, recenter scilicet evolutis Davidis Hume libris, ut exponeret quantum, in opinione illa de relativitate, inesset vis et utilitatis : « Toutes les connaissances humaines, ait, vont croissant de siècle en siècle et les institutions et les idées politiques de chaque époque d'un peuple doivent être relatives à l'état des lumières de ce peuple, à cette époque... Toutes les idées générales, mais surtout sociales, sont entachées d'une idée radicalement fausse, celle de l'absolu. Il n'y a rien d'absolu dans le monde, tout est relatif[1] ». Immo in eadem epistula amicum hortatur ut historiam Britanniæ a Davide Hume scriptam legat diligentissime.

Cum notionem causæ perspicue scrutatus esset David Hume[2], idcirco illum arbitratus est Augustus Comte magno adjumento fuisse ut omnia prospere philosophiæ positivæ cederent; ille enim expresserat positivam causalitatis notionem, ac verba fecerat adversus metaphysicos de eadem notione : « Sous l'aspect purement mental, inquit, l'un des principaux membres de cette illustre association[3], le judicieux Hume, par une élaboration plus originale sur la théorie de la causalité, entreprend avec hardiesse mais avec les inconvénients inséparables de la scission entre la science et la philosophie, d'ébaucher directement le vrai caractère de la conception positive[4]. »

Adamo Smith, cui pariter favit, mentem positivam

système d'actions qui ait pour objet l'intérêt public, il faut convenir que, dans ce sens, la justice est fondée sur les conventions humaines. »

1. In *Lettres à Valat*, p. 54.
2. *Essais philosophiques sur l'Entendement humain*, I, 177.
3. Id est l'*Ecole Ecossaise*.
4. In *Cours de Philosophie positive*, VI, 259.

fuisse putat. Illum ejus librum imprimis haud parvi faciebat qui inscribitur : *Essai sur l'Histoire de l'Astronomie*; virum etiam cum Davidi Hume opposuisset, addebat : « Il s'approche peut-être encore davantage du vrai sentiment de la positivité rationnelle[1] ».

Doctrinas autem inter ejus psychologicas valde psychologicam et moralem de sympathia doctrinam probavit[2]; nam in illa invenit ea quæ ipse de amore aliorum conceperat; æstimavit etiam scholam caledonicam, quæ simul amorem et « sui » et aliorum accipiat, a veritate minus descivisse quam Gallicam scholam, qua tunc instituebatur morum scientia in utilitatis principio fundata[3]. Denique propter easdem causas Adamum Ferguson mirandum putavit ; reperire enim potuit in *Institutions de Philosophie morale* aut opinionem de hominum ad societatem inclinatione, aut de progressione, aut de ceteris rebus, quibus maxime ipse lætabatur; aut in *Essai sur l'Histoire de la Société civile*, libenter vidit a scriptore distributionem adumbrari inclinationum antiquissimarum generis humani, et permanendi conservandique se voluntatis, et propagandæ prolis inclinationis, et reliquarum omnium inclinationum, quas postea et ipse ponet in descriptione naturalium hominis inclinationum. Is igitur maxime probatus est[4], quod animalium societates et hominum comparaverit, via ac ratione usus, qua ut ad hominem perscrutandum utamur, postea ipse præcipiet Augustus Comte. Quamobrem Adamum Ferguson virum dixit esse sapientissimum.

Postremo, idcirco multum scholam Caledonicam, sine delectu, omnem (dico et Davidem Hume et Adamum Smith et Adamum Ferguson) amavit, quod contra Galli-

1. In *Cours de Philosophie positive*, VI, 260.
2. In *Théorie des Sentiments moraux*, p. 17 sq.
3. In *Cours de Philosophie positive*, III, 552.
4. In *Cours de Philosophie positive*, IV, 314 et 422.

corum, qui tunc philosophiam colebant, scriptorum opiniones, arbitraretur hæc schola quamdam esse hominibus insitam ad bonos mores inclinationem, vel antequam disciplina excolantur : « Cette école, inquit, put, à cette époque, utilement tenter de rectifier les graves aberrations critiques de l'école française[1] ». Alio in loco hæc etiam dixit : « On y remarquera toujours, avec intérêt, la meilleure réfutation qu'il fût possible d'effectuer, avant la fondation de la physiologie cérébrale, des principales aberrations de l'école française sur la nature morale de l'humanité[2] ». Si hæc verba juxta quæ ab eodem scriptore sive supra sive infra dicebantur reposuerimus, intellegemus illum locutum esse de Claudii Helvetii psychologicis ac moralibus doctrinis, quas in eodem loco insectatus est. Id enim, nullo modo infitiari potes hos tres philosophos putavisse quasdam in hominum mente inclinationes ab origine insitas esse. Immo vero, etiamsi Joannem Locke de notionum origine secutus sit, tamen Davidi Hume placuit esse et hominibus et animalibus aliquot insitas inclinationes. « Je voudrais bien savoir, inquit ille, ce qu'on peut entendre en disant que l'amour-propre, le ressentiment des injures et le penchant réciproque des deux sexes ne sont pas innés[3] ». Alias et idem professus est hominibus inesse « un penchant naturel pour le bien de l'humanité[4] ».

Pariter id placuit Adamo Smith « que quelque degré d'amour de soi qu'on puisse supposer à l'homme, il y a évidemment, dans sa nature, un principe d'intérêt pour ce qui arrive aux autres qui lui rend leur bonheur néces-

1. In *Cours de Philosophie positive*, VI, 259.
2. In *Cours de Philosophie positive*, III, 553 note.
3. In *Essais philosophiques sur l'Entendement humain. OEuvres philosophiques*, I, 85.
4. In *Essais philosophiques sur l'Entendement humain. OEuvres philosophiques*, V, 241.

saire, lors même qu'il n'en retire que le plaisir d'être témoin[1] ». Id quod sympathia vocatur, insitam animo inclinationem esse putavit.

Postremo Adamus Ferguson, antequam enumeret quasdam animi et mentis inclinationes, quibus hominum natura constat, eas in animo insitas esse profitetur : « Il y a, inquit, dans l'homme, de même que dans les animaux, certains penchants d'instinct, qui antérieurement à toute perfection de plaisir ou de peine, antérieurement à l'expérience de ce qui est utile ou nuisible, le portent à faire plusieurs actes naturels, relatifs à lui et à ses semblables[2] ».

Optime sensit Augustus Comte, hos philosophos, in illis quæ ad mores pertinent, dissidere a ceteris duodevicesimi sæculi philosophis, eorumque doctrinas discrepare ab empirica philosophia, aut a doctrina utilitari Claudii Helvetii. Sed tamen, utrum fuerit reactio vel etiam refutatio, ut Augusto Comte ipsi videbatur, necne, dubium est, nec fuisse accepimus.

Duo enim illi Claudii Helvetii libri, quos in animo Augustus Comte habebat[3], unus, qui *De l'Homme* inscribitur, tantummodo post mortem Claudii Helvetii editus est, et, post illum Adami Ferguson librum qui est de *La Société civile*, quatuor annis ; tredecim autem post librum Adami Smith de *Sentiments Moraux* ; alter quidem, qui *de l'Esprit* inscribitur, solus ante hos duos libros editus est ; is tamen neque Adamo Smith[4] neque Adamo Ferguson curæ fuisse proprie videtur.

In hac re igitur, omnia quæ Augustus Comte dicebat ad veritatem accommodate parum dicebantur ; ratione res

1. In *Théorie des Sentiments moraux*, I, 5.
2. In *Essai sur l'histoire de la Société civile*, I, p. 28.
3. In *Cours de Philosophie positive*, III, 552.
4. Adamus Smith legentibus nobis non Claudio Helvetius quidem sed Thomæ Hobbes respondisse visus est. (In *loc. cit.*, II, 234 sqq.)

ornabat, et, cum opiniones tantum essent diversæ, refutationem ille vere factam esse putabat. Hoc erit igitur indicio, quod quidem jam supra monuimus, Augustum Comte in judiciis non æstimatorem semper esse religiosissimum.

In hac tamen Caledoniorum schola, quamquam Caledonios habebat caros, quædam inesse vitia gravissima sentiebat.

Primum autem vitium, quod Augusto Comte, qui rationem in omnibus rebus adhibere solebat, debebat videri maximum, in hoc erat, ut partes doctrinarum male cohærerent. « Toute sa valeur, inquit, était due à l'éminent mérite des penseurs qui s'y trouvaient alors rapprochés sans aucune liaison vraiment systématique[1]. »

Quin immo, hi non modo inter se parum consentiunt philosophi, sed etiam si singulos spectaverimus, quemque non sibi constare voluisse videbimus ; nulla enim est in eorum philosophia continuatio seriesque rerum, qua res omnes inter se aptæ et colligatæ essent ; attigerunt tantummodo sapienter sed leviter inclinationes humanæ naturæ ; inde oritur id quod Augustus Comte appellavit : « leur inconsistance caractéristique ». Schola igitur Caledonica non rationem unam habet neque ex rationibus plurimis constat conflatis ; unde fit ut inter omnes scholas inepta minime sit, solida tamen minime[2].

Adde quod Caledoniorum de humano animo doctrina infirma ac prope infecta esse videtur, quia non arcte conjungitur cum theoria illa quae de corpore sit et hominum cerebro[3] ; non igitur potuit ostendere inclinationes, quæ menti sunt insitæ, partibus cerebri quasi contineri ; quod quidem vitium est quo non alterum

1. In *Cours de Philosophie positive*, VI, 258.
2. In *Cours de Philosophie positive*, III, 538.
3. In *Cours de Philosophie positive*, VI, 259.

sit majus; sed in ceteris scholis inveniemus vitium idem de quo infra disputabimus.

Quod cum ita sit, haud aliter quam Germanorum scholam, Caledoniorum quoque condemnabit Augustus Comte; licet enim positivum ingenium Davidis Hume, Adami Smith et Adami Ferguson amaverit, præcepta tamen removebit quibus est continuatio nulla, neque intima cohaerentia, neque cum theoria physiologica naturæ humanæ consociatio.

3

Venimus nunc ad hanc scholam de qua maxime disputavit Augustus Comte, contra quam sæpissime impetum fecit, de qua tamen fortasse neque verissime, neque justissime esse locutus videtur, id est Gallicam seu ideologicam scholam.

Anno millesimo octingentesimo tricesimo, illustrabatur ideologia ab Antonio Destutt de Tracy et a Petro Laromiguière. Anno millesimo octingentesimo uno, ediderat Antonius Destutt de Tracy elementa ideologica, eadem quæ postea totiens edita sunt, in quibus autem quo modo informentur notiones exposuerat; easque conatus erat explicare per vim harum quatuor animi præcipuarum partium, quæ sunt et memoria et voluntas et sentiendi et judicandi facultas. Quas quidem animi vires non putabat ille e sentiendi facultate per multas mutationes creatas esse, quæ quidem est proprie Condillacea opinio, sed esse eas quasi multiplex ac varium opus per eamdem unam sentiendi facultatem effectum. Petrus Laromiguière jam intra tres annos[1] edidit philosophicas scholas, in quibus hominum mentem in duas partes divisam esse

1. MDCCCXV-MDCCCXVIII.

contendit, alteram intellectus partem, alteram voluntatis; sex autem præcipuas, quas numerat in animo partes, haudquaquam ex sensu natas esse putat, sed ex intentione animi; inde fit ut intellegentiae et menti illud nescio quid restituatur quod vim agendi habet, et intellectus activus jure vocatur. In hujus schola, vel etiam in Antonii Destutt de Tracy discipulorum numero, habendus est physiologus, Petrus Cabanis. In eo libro qui *Traité du Physique et du Moral de l'Homme* inscribitur, id ille quæsivit quo modo notionum informatio e rebus physicis et physiologicis pendeat; jam ab illo probantur tunc ea quæ sentiebat Antonius Destutt de Tracy; postea etiam in Petri Cabanis nomine apparebit liber de logica ab Antonio Destutt de Tracy scriptus. Uterque enim pariter in id studuerant ut mentis humanæ studium corporis studio coagmentarent, utque physica humana conflaretur omnibus rebus diligentissime exploratis quæ ad ingenium ac mentem pertinent. Idcirco, circa annum millesimum octingentesimum tricesimum, plurimum apud medicos auctoritatis habuerunt Antonius Destutt de Tracy et Petrus Cabanis; physiologus enim Franciscus Broussais utrumque appellavit in præfatione libri qui est *De l'Irritation et de la Folie*; unde fit ut Franciscum Broussais ipsum inter ideologos numerare liceat. Postremo, ut Antonius Destutt de Tracy solebat, Augustus Comte et ipse nomen dedit ideologum omnibus empiricis philosophis sæculi duodevicesimi, id est Claudio Helvetio et Stephano Condillac, a quibus Antonius Destutt et Petrus Laromiguière profecti sunt, quamquam contra eos, ut supra diximus, postea facere inceperunt.

Ab ideologica schola primum detraxit Augustus Comte amplissimum illum inter ideologos virum, Petrum Cabanis (quod tamen minime licebat), ut eum appellare posset, cuique successorem se esse diceret. His artibus nihil pejus videtur esse, neque eas usurpavisse postea lætabitur;

nam postquam ab ideologis Petrum Cabanis detraxit inique, ideologis inique dat vitio id quod physiologiam reliquerint.

Sublato Petro Cabanis, jam in ideologos duodevicesimi sæculi incidet et in eos qui iisdem temporibus, quibus ipse, fuere ; quos pariter mox refutabit. Vehementissime autem priores, id est Stephanum Condillac et Claudium Helvetium vituperat, quorum empiricam artem haud semel respuit.

Idem tamen Franciscus Gall, ad quem legentes Augustus Comte vocat[1], antea fecerat. Franciscus enim Gall, cum necesse esset, ut phrenologia institueretur, quasdam animi inclinationes esse animo insitas, id in præfatione copiose proposuit de quo postea profusius disseram : « Les dispositions, propriétés de l'âme et de l'esprit, sont innées, et leur manifestation dépend de l'organisme[2] ». Petebat videlicet et Joannem Locke propter empiricam ejus doctrinam et Claudium Helvetium, quod senserit disciplinam valere plurimum. Quo melius illos confutet, argumentis compluribus confirmat quasdam animi inclinationes jam prius esse animo, quam rerum experientiam capiamus, aut ab aliis informemur ; atque de hereditate ille haud aliter loquitur quam Herbertus Spencer loquetur postea. Hæc omnia Augustus Comte, assensu suo comprobavit : « Sous le point de vue dogmatique, ait, je dois me borner à cet égard à renvoyer le lecteur à la lumineuse réfutation par laquelle Gall et Spurzheim préparèrent si bien leurs travaux[3] ».

Non ideo tamen temperavit quin ipse Stephanum Condillac et Claudium Helvetium verbis lacesseret.

His qui Stephani Condillac rationem secuti sunt phi-

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 550.
2. Gall et Spurzheim in *Anatomie et physiologie du système nerveux*, II, 6.
3. In *Cours de Phylosophie positive*, III, 350.

losophis, nimirum ea laus fuit, quod res eleganter et ratione disposuerint[1], cum non modo idearum sed etiam omnium animi facultatum causam dixerint sensum esse. Nullam autem illis laudem aliam Augustus Comte concedere voluit.

Condillacei enim philosophi unum hoc retinuerunt principium, quod, recti ordinis cupidi, in hujuscemodi rebus perspicere possent[2], id est Aristotelicum illud axioma « nihil in intellectu quod non prius fuerit in sensu » exclusa autem Gottfridii Leibniz notissima exceptione. Inde igitur omnes eorum errores de philosophia et moribus ipsis sequentur[3].

Stephani Condillac theorias de « la sensation transformée » Augustus Comte somnia puerorum esse dicit ; id igitur fieri nullo modo posse putavit, ut omnes animi actus ostendamus esse ad extremum pares et ad unum redactos ; abhorrebat enim ille, quod sæpius significavit, ab omni synthesi, qua ad simplex et unum aut res metaphysicæ aut scientiae reducerentur. Non tamen ipsum librum qui *Traité des Sensations* inscribitur scrutatus est, neque de rebus ipsis disputavit quas subtiliter dispexerat Stephanus Condillac ; maluit omnia in universum disputando arguere, et eum vituperavit, sicut Franciscus Gall vituperaverat, quod omnes animo insitas inclinationes sustulerit : « Conceptions fantastiques, inquit, qui écartent complètement toutes les dispositions primordiales par lesquelles non seulement les divers organismes animaux,

4. In *Cours de Philosophie positive*, III, 550.
2. In *Cours de Philosophie positive*, III, 550.
3. Insuper addit Augustus Comte de condillacea philosophia : « conceptions qui d'ailleurs donnaient même les plus fausses idées de la théorie préliminaire des sensations externes ». Condillaceam autem doctrinam de sensu et memoria solertissimam in Logice (IX) invenio, neque eamdem ab Augusto Comte vituperatam esse his verbis existimo, sed potius quidquid metaphysices in doctrina condillacea inesset, ex qua anima nostra, perfectione prima depulsa, ut per sensus sentiat, quasi in modo pœnæ, cogitur.

mais les divers individus de notre espèce se distinguent si énergiquement les uns des autres[1] ».

Claudius Helvetius cum Condillaceam psychologiam acceperit, et eadem de « la sensation transformée » professus sit, et pariter inclinationes animo insitas rejecerit, idcirco iisdem vituperationibus est obnoxius. Augusto Comte autem nullum aliud vitium in illa schola videtur esse majus quam illa de « la table rase » theoria ; de qua cum est locutus, semper apertum ostendit odium ; neque Victori Cousin veniam umquam dedit[2] nisi forte cum ille hanc theoriam refutavisset[3].

Ex illa tamen theoria, Claudius Helvetius multum assumpsit ; unde factum est ut Augustus Comte eum vituperaverit rectius et vehementius. Posita enim illa quæ « de la sensation transformée » appellatur theoria, id Claudius Helvetius ratione colligere voluit par et idem esse omnibus hominibus ingenium, cum omnibus pariter sint iidem externi sensus. — Hoc unum inter hominum ingenia interest quod externo rerum pulsu ingenia non eodem modo mutantur, sed natura haud quaquam discriminantur ; ex quo intellegi potest cur in educandi arte tantum ille posuerit, et tot verba fecerit ineptissime de præstantissimos viros informandi facultate[4]. Illam autem increpuit Augustus Comte de ingeniis paribus et de disciplinæ vi theoriam ; negat, inquit, « contre l'idéologie française, la possibilité de convertir, par des institutions convenables, tous les hommes en autant de Socrates, d'Homères et d'Archimèdes[5] ».

Multis enim verbis etiam ostendit[6] quæ in rei publicæ

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 550.
2. In *Système de Politique positive*, IV, appendice, p. 220.
3. In *Journal des Savants*, 1818, et in scholis MDCCCXVI.
4. Helvetius. In *De l'Homme*, section X, ch. XI. De l'instruction après qu'on aurait levé les obstacles qui s'opposent à ses progrès, p. 558 sqq.
5. In *Cours de Philosophie positive*, III, 566.
6. In *Cours de Philosophie positive*, p. 552.

rationibus sequantur ex ista de paribus hominibus doctrina ; nihil aptius esse putavit ad augendam inspiciendi omnia voluntatem, et periculosam rationis cujusque arrogantiam corroborandam, quam istam de ingeniis hominum paribus theoriam : « Cette aberration provisoire, ait, était logiquement nécessaire au plein développement social de la doctrine critique, dont l'ensemble supposait tacitement, en effet, cette universelle égalité mentale, sans laquelle ni le principe général de libre examen individuel, ni les dogmes absolus de l'égalité sociale et de la souveraineté populaire n'auraient pu certainement résister à aucune discussion rigoureuse [1] ».

Sumpsit etiam ab eadem doctrina de sensibus Claudius Helvetius hanc philosophiam qua omnia ad utilitatem revocantur [2]. Id igitur ostendere conatus est quo modo omnes animi cupiditates, avaritia, honorum cupido, amicitia, recidant in fruendi cupiditatem et in metum aliquid patiendi [3], non animo quidem sed corpore ; ita ut philosophiæ ejus, quæ est de moribus, initium ductum sit a sensibus aut dolore aut voluptate adfectis.

Facile perspicere potes quæ mala ex ista philosophia ad societatis vitam sequantur ; id vero præsertim nunc animadvertendum habes Claudium Helvetium, ut, metaphysico more [4], omnes animi varios adfectus in unum reduceret, mentem illam hominum hominibus amicam, et faciles uniuscujusque ad societatem mores contempsisse. Caledonios idcirco Augustus Comte amavit qui hunc errorem vitavissent [5]. Id est, cum inneitatis defensione, gravissimum crimen in Condillaceos objectum philosophos.

Quod cum ita esset, id fieri potuerat ut Augusto

1. In *Cours de Philosophie positive*, V, 522-523.
2. Helvetius. In *loc. cit.*, section IV, chap. IV.
3. *De l'Esprit*, p. 258, IIe discours.
4. Cf. *Cours de Philosophie positive*, V, 502.
5. In *Cours de Philosophie positive*, III, 553 note.

Comte major fuisset mentis inclinatio ad ideologos suæ ætatis, a quibus tunc timide petebatur Stephani Condillac empirica philosophia ; sed de Petro Laromiguière nihil noverat nisi quae in illum a Francisco Josepho Gall exprobrarentur[1]. Quamobrem Augustus Comte leviter tantummodo significavit theoriam ejus de animi facultatibus, cum de Francisco Gall locutus esset et de cerebri functionibus.

Antonius autem Destutt de Tracy, levius scilicet sensualismum tentavisse ei visus est ut de tentatione illa loqueretur. Quis esset tamen noverat ; legerat enim *les Éléments d'idéologie* aut saltem ea evolvisse videtur.

Primum illum Augustus Comte amavit, quod professus esset ideologiam partem esse zoologiæ[2]. Nimirum in illo plurimum valebant physiologi quibuscum vivebat. Et vero hic aliquid reperimus auctoritatis Petri Cabanis qui quidem nondum, cum *les éléments d'idéologie* edicta fuissent, librum suum ediderat ; sed sex primas partes tamen, jam anno quarto et anno quinto Rei publicæ, recitaverat ipse in Academia, cujus et pars fuit ipse et quoque Antonius Destutt de Tracy[6].

Pariter Augustus Comte fatetur Antonium Destutt de Tracy ex omnibus metaphysicis philosophis fuisse « le plus rapproché de l'état positif » ; et vere ad positivam philosophiam inclinavisse Antonius Destutt videtur, si hoc verbo significari putamus metaphysices negationem et curam perspiciendi omnia diligentissime. Genere autem Caledonius est Antonius Destutt de Tracy, unde fit forsitan ut Caledoniorum iis tamen virtutibus memoriam revocet. — « J'ai essayé, ait, de faire une description

1. Gall, in *loc. cit.*, IV, p. 326.
2. « L'idéologie, inquit Antonius Destutt, est une partie de la zoologie et c'est surtout dans l'homme que cette partie est importante et mérite d'être approfondie. » In *Éléments d'idéologie*, Préf. XIX.
3. Uterque pars erat sectionis ejusdem in qua de sensibus quærebatur.

exacte et circonstanciée de nos facultés intellectuelles, de leurs principaux phénomènes, de leurs circonstances les plus remarquables[1] ». « Quant à la métaphysique, l'étude des questions d'origine première et de fin, nous la rangerons au nombre des arts d'imagination, destinés à nous satisfaire, et nonà nous instruire[2] ».

Sed his laudibus, quæ valde vituperationibus debilitatæ sunt, nihil Augustus Comte adjicit. Is enim putabat Antonium Destutt in principio non stetisse ideologiæ quæ esset zoologiæ pars ; in præfatione quidem principium illud enuntiavit, sed mox illud sustulit ipse « en se hâtant d'établir aussitôt comme une maxime fondamentale que cette idéologie constitue une science primitive, indépendante de toutes les autres et destinée à les diriger[3] ».

Unde fiebat ut altera via in metaphysicem, unde exire voluerat, Antonius Destutt recideret, et excluderet ideologiam ab omnium scientiarum humanarum contextu et continuatione, denique licentiam faciendi theorias non rebus firmatas concederet : « Il va jusqu'à recommander hautement l'enseignement de l'idéologie, comme la base indispensable de toute éducation rationnelle, en sorte que, contre son intention, il rétrogradait ainsi réellement en deçà de l'ancienne discipline scolastique qui, dans la construction générale du cours officiel de philosophie, avait au moins placé, depuis longtemps, quelques études mathématiques et physiques avant les études métaphysiques proprement dites[4] ».

Hæ vituperationes non utique accipiendæ sunt ; nimis acerbæ esse vel etiam justæ parum videntur. Non enim voluit Antonius Destutt ideologiam sejungi ab omnibus

1. In *Éléments d'idéologie*, préface XXII.
2. *Id.*, XXI.
3. In *Cours de Philosophie positive*, III, 541.
4. In *Cours de Philosophie positive*, III, 542.

scientiis, easque omnes ducere; tantummodo discipulos docebat omnes scientias propter hunc modum quo componunt ideas, esse quasi materiem ideologiæ[1].

Hæc autem longe alia sunt ac quæ in illum ab Augusto Comte conferebantur; quin etiam ab illis initiis, ille non ad speculationem puram et metaphysicam redit; id unum ostendit scientiam suam in medio ita positam esse ut vel etiam pueris pateat; satis est, ut omnia ad intellegentiam puerorum accommodentur et ad ideologiam ipsi adducantur, si renovetis illis earum doctrinarum memoriam, quibus ætas puerilis impertiri solet, vel etiam si cum pueris iis utamini quæ eos usus docuerit. — Quæ vero longe alia sunt ac speculatione illa metaphysica contra quam Augustus Comte præliatus est.

Ideologiam autem cum zoologia congruere nullo modo Antonius Destutt negavit; sed id tantummodo sibi proposuerat ut in libro suo ideas describeret idearumque mecanismum. Augustus vero Comte certe non legerat præfationem Destuttianæ logicæ ad Petrum Cabanis; nam si legisset, aliter esset locutus: « C'est à vous, inquit Antonius Destutt, que j'ai dû jusqu'au courage d'entreprendre les recherches auxquelles je me suis livré..... aussi le succès que j'ambitionne le plus c'est que mon ouvrage puisse être regardé comme une conséquence du vôtre et que vous-même n'y voyiez qu'un corollaire des principes que vous avez exposés..... car si je mérite cet éloge, l'intention de Locke est remplie, sa grande idée est réalisée, et, suivant son désir, l'histoire détaillée de notre intelligence est enfin une portion et une dépendance de la physique humaine[2] ».

1. « Mon objet, inquit Antonius Destutt, est de vous faire connaître ce qui se passe en vous quand vous pensez, parlez et raisonnez; il faut donc qu'auparavant vous ayez pensé, parlé et raisonné, sans quoi il vous serait impossible de m'entendre. » In *loc. cit.*, I, p. 13.

2. In epistula ad senatorem Petrum Cabanis, in *loc. cit.*, III, IX-X

Nonne igitur in his rebus illam inveniemus ideologiæ biologiæque societatem, quam Augustus Comte flagitare solitus est? Antonius Destutt auxilio laboris Petrum Cabanis juvare vere voluit.

Duodecimo anno post, id est in anno MDCCCXVII, in *Principes de Logique*, idem Antonius Destutt de Tracy, etiam apertius est locutus; prior ante Augustum Comte voluit ideologiam nihil jam aliud esse quam psychologiæ partem, idque perbene sensit, ei, ut fieret scientia quædam, esse utendum et dementibus hominibus, et pueris et animalibus.

Cum autem Francisci Broussais admirationem Antonius Destutt excitavisset, Augustus Comte, si id animadvertisset, debuisset, multo in castigando cautior, in Antonium Destutt non tantam adhibere severitatem. Franciscus enim Broussais intellexerat Antonio Destutt mentem esse experimentalem; quapropter sæpissime ejus positivas inclinationes laudavit[1]; et ejus auctoritatem, ut eum quasi ducem sequamur, probavit, jussitque legi ejus libros. Peccavit igitur Augustus Comte non solum cum Petrum Cabanis ab ideologis distraxisset, sed etiam cum neglexisset, vel etiam ignoravisset omnes physiologicas inclinationes quæ in Antonii Destutt libris videntur esse, atque crediderit illum nihil aliud nisi metaphysicum quemdam e multis fuisse.

In his igitur rebus et ignorantiam quamdam et præjudicatas opiniones reperimus.

Postremo, cum putavit Augustus Comte philosophiam quamdam seditiosam et turbulentam ab ideologis maxime expressam esse[3], et ab illis quoque defensam esse illam doctrinam periculosam de rebus libere perspiciendis omnibus, et de hominibus omnino paribus, et de indivi-

1. Broussais, in *loc. cit.*, p. XII et 200.
2. In *Système de Politique positive*, I, 73.

duæ rationis absoluta dignitate, quæ quidem omnia sunt seditiosorum hominum dogmata et rerum perturbationem meditantium, optima quidem si quis rerum pestem machinetur, sed si quid ædificare voluerit pessima[1]; ideo haudquaquam Augusto Comte animus inclinavit ut ideologos caritate complecteretur.

Nam inclinationes seditiosas ideologorum respuit Augustus Comte haud aliter quam respuerat ambages politicas psychologorum et doctrinam de constitutionali monarchia.

Quamobrem objectis proprie psychologicis addebantur objecta socialia ; unde fit ut, cum in sociologia maximum ille momentum poneret, illud odium, quo in ideologiam socialem accendebatur, causa esse videatur cur adeo severus quin etiam injustus fuerit adversus ideologiam psychologicam et imprimis adversus Antonium Destutt de Tracy.

Ea sunt igitur quæ criminatus est singillatim de eclecticis et caledoniis et empiricis philosophis duodevicesimi sæculi, et de iis qui proprie ideologi appellantur.

1. In *Cours de Philosophie positive*, IV, 43 sqq.

II

Nunc ad ea venimus quæ conglobatim criminatus est Augustus Comte de scholis, quas supra diximus; illa autem crimina, dogmatice in quadragesima quinta philosophiæ positivæ schola exposita, quæ fuerint jam ex ordine quærendum.

I

Primum intellexit nulla alia ratione melius refutari posse eas, quæ prius fuerant, psychologias quam victoria positivæ methodi[1], in animi functionum studio. « Toutefois, inquit, afin de mieux caractériser par un lumineux contraste, le véritable esprit général de la physiologie phrénologique, il ne sera pas inutile d'analyser très sommairement les vices fondamentaux de la prétendue méthode psychologique, mais envisagée seulement en ce qu'elle a de commun aux principales écoles actuelles, c'est-à-dire à ce qu'on nomme l'école française, l'école allemande, et aussi la moins absurde de toutes, l'école écossaise ».

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 538.

Tum venit, per ordinem, ad methodos et doctrinas communes perspiciendas.

Primum judicium est illud notissimum de introspiciendi se methodo.

Breviter, in quadragesima quinta schola hoc judicium exposuit loquendo de « la profonde absurdité que présente la seule supposition si évidemment contradictoire de l'homme se regardant penser[1] ».

Nam plurimum de his rebus quid sentiret explicandi occasio ei data erat.

Jam enim anno millesimo octingentesimo undevicesimo ad P. Valat scribebat : « l'esprit de l'homme, considéré en lui-même, ne peut être un sujet d'observation, car chacun ne peut évidemment l'observer dans autrui, et, d'un autre côté, il ne peut pas non plus l'observer en lui-même. Et en effet, on observe les phénomènes avec son esprit, mais avec quoi observerait-on l'esprit lui-même, ses observations, sa marche ?[2] » Rediit ad eadem, anno millesimo octingentesimo duodetricesimo, cum Francisci Broussais librum explorabat, atque iterum dixit : « L'organe observé et l'organe observant étant identiques, l'observation interne est impossible[3] ». Postremo, anno millesimo octingentesimo tricesimo ad eadem, sed amplioribus verbis, rediit in prima philosophiæ positivæ schola[4].

Dicta esse hæc contra ideologos et caledonios satis constat, cum quidem Augustus Comte ipse se id voluisse confirmet ; sed magis contra Victorem Cousin et Theodorum Jouffroy dicebantur ; uterque enim in libris illis, quos supra diximus, magnopere prædicaverat quam necesse esset psychologiam stabiliri introspectu. Augustus igitur

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 539.
2. In *Lettres à Valat*, p. 89.
3. In *Système de Politique positive*, IV, 219, appendice.
4. In *Cours de Philosophie positive*, I, 51.

Comte de illis philosophis recordabatur cum dicebat anno millesimo octingentesimo tricesimo « les métaphysiciens livrés à l'étude de notre intelligence n'ont pu espérer ralentir la décadence de leur prétendue science qu'en se ravisant pour présenter leur doctrine comme étant aussi fondée sur l'observation des faits. A cette fin, ils ont imaginé, dans ces derniers temps, de distinguer par une subtilité fort singulière deux sortes d'observation, d'égale importance, l'une extérieure, l'autre intérieure et dont la dernière est uniquement destinée à l'étude des phénomènes intellectuels[1] ».

Hæc igitur ad omnes pertinent, sed præcipue dirigebantur contra eclecticos.

Si eorum quæ dixit summam logice facere voluerimus, videbimus illum nihil aliud fecisse quam facultatem introspiciendi se negavisse, et rem, quasi sibi repugnantem, rejecisse ; confestim tamen exceptionem iterum atque iterum Augustus Comte fecit, quæ sæpissime omittitur. De libro Francisci Broussais, et in prima philosophiæ positivæ schola, dixit introspiciendi se facultatem animo concessam esse intra varios passionum motus dummodo mediocriter ille conturbetur, quandoquidem in cerebro non eadem sint instrumenta quibus aut cupidinibus moveamur, aut inspiciamus quid in mente agatur. Verum ubi effrenatæ sunt nostræ cupiditates, iis simul nos ferri et earum motus simul observari, hæc omnino repugnant[2].

Hoc igitur fieri posse Augustus Comte negat, facultatem animo concessam esse videndi directe quibus legibus regantur animi vires, tum cum eæ officio suo funguntur. Quæstio enim, illa correctione adhibita, erat ita ponenda ; plerique enim eam et perperam ponere et enuntiare

1. In *Cours de Philosophie positive*, I, 31. Cf. *Examen du Traité de Broussais*. *Système de Politique positive*, IV, p. 218, appendice.
2. In *Cours de Philosophie positive*, I, 31.

perperam solent[1]. « L'observation interne, inquit Alfredus Fouillée, n'est pas praticable au moment où les phénomènes se produisent, surtout s'il s'agit de faits spontanés, de passions, d'émotions, que la réflexion altérerait ou détruirait (par exemple la colère). C'est ce que Broussais et Comte avaient bien vu ». Id vero Franciscus Broussais nullo modo vidit, Augustus autem Comte, quod vidit, id longe secus est. Nam tantummodo de rebus intellectus loquebatur, cum facultatem introspiciendi se hominibus esse negavit ; negat enim animo posse id perspici quibus legibus ipse omnia et consociet, et componat, et ratiocinetur, cum tum hæ leges officio suo funguntur. Quo res magis illustris sit, eadem bis usus est comparatione, qua optime putabat omnia enucleari. De libro Francisci Broussais, et in prima philosophiæ positivæ schola, contulit errorem psychologorum de introspectu ad illum physiologorum quorumdam errorem, quo putabant se optime explanavisse cur oculi res videant, dicendo rebus ipsis quasdam rerum imagines in intima oculorum parte fieri. « A cela, inquit, les physiologistes ont objecté avec raison que si c'était comme images qu'agissaient les impressions lumineuses, il faudrait un autre œil pour les regarder[2] ».

Quocirca, cum falsum sit introspectus principium, sibi repugnent omnia quæ sequentur necesse est. Quid ! Vetant te, abstractum undique rebus externis, cogitatione quidlibet comprehendere ; jubent autem te simul inspicere attente quid agat ille animus tuus quem agere vetuerunt ! « Nos descendants, ait, verront sans doute de telles prétentions transportées un jour sur la scène[3] ».

Cum vana sit methodus, quid tandem ex re eveniet ?

1. In *Le Mouvement positiviste et la conception sociologique du Monde*, p. 180.
2. In *Cours de Philosophie positive*, I, 31.
3. *Id.*, I, p. 32.

— Nihil. Post duo annorum millia, metaphysici semet ipsos introspicientes nondum de certo proposito convenire potuerunt : « L'observation interne, ait, engendre presque autant d'opinions divergentes qu'il y a d'individus croyant s'y livrer[1] ».

Postquam ita argumentatus est Augustus Comte, id prævidet quod aliquis contra possit dicere : putas tu ex re nihil eventurum esse ; erras ; quibus enim legibus regatur disserendi ratio novimus nos propter eos psychologos quos tu refutavisse credis. — Quid enim ? quo modo tibi tali ex methodo aliquid evenire potuit ? nempe quia in principiis suis illi non steterint. — Nihil enim profecissent, si tantummodo introspiciendi se arte usi essent ; sed objective quæsierunt qua via mens humana procedat in scientiis informandis ; unde factum est ut idcirco disserendi ars facta sit quod methodum suam illi neglexissent. — Insuper cavendum est ne in majus ista psychologorum logica feratur : « Leurs notions, ait, se trouvent le plus souvent exagérées ou très incomplètes et bien inférieures aux remarques déjà faites sans ostentation par les savants, sur les procédés qu'ils emploient[2] ». Difficile est enim aliquid de methodo quærere in abstracto, et sublatis iis rebus quas persequimur cum illa ; vix ita aliquot leges inveniemus infinitas de inductione aut deductione, sed « on connaît beaucoup moins la méthode que celui qui a étudié d'une manière un peu approfondie une seule science positive, même sans intention philosophique[3] ».

Ea est Augusti Comte notissima illa contradictio quam copiose exposuimus ; nunc quanti sit ponderandum est.

Jam ostendimus illam contradictionem pertinere tantummodo ad intellectuales res ; dicamus autem, transeundo, quantum subtiliter excogitatam hanc de adfectivis

1. *Id.*, I, 33.
2. In *Cours de Philosophie positive*, I, 33.
3. In *Cours de Philosophie positive*, I, p. 34.

factis restrictionem judicemus. Hoc equidem reprehendendum quod verbis phrenologicis usus est et dixit passionibus et intellectui non easdem cerebri partes respondere; sed si hæc in sermonem psychologicum converterimus, vera esse sentiemus. Cum enim mediocriter libidinibus movemur, facile ac directe possumus nosmet ipsos introspicere. Licet enim mihi, ex aliqua re percipienti luctum, et enumerare vicissim ea quæ sentio, et notare lassitudinem meam, aut frigus membrorum, aut gravedinem, aut anemiam, dum his adfectibus laboro; nam hæc omnia sunt habitus quidam corporis, passibiles natura et stabiles, veluti omnia phænomena quæ sensibus sunt; possumus, dummodo ne fiant violenti, omnes illos adfectus perbene cogitatione explorare.

Ad illam nunc phænomenorum intellectualium adeamus observationem quam nullo modo fieri posse Augustus Comte judicat.

Qua de re sæpissime nonnulli vituperaverunt Augustum Comte, sed nullus gravius quam Joannes Stuart Mill.

Is enim, id quod vere sophisma ipse dicit, facile vinci posse putavit. Primum eam rem Augusto Comte notissimam opposuit homines complura simul animo percipere posse : « Premièrement, ait, on pourrait renvoyer M. Comte à l'expérience, ainsi qu'aux écrits de son compatriote M. de Cardaillac et de notre sir William Hamilton pour prouver que l'esprit peut, non seulement, avoir conscience de plus d'une impression à la fois, et même en concevoir un nombre considérable, mais encore y prêter attention. Si l'attention s'affaiblit en se divisant, c'est là une difficulté pour l'observation interne reconnue par les physiologistes eux-mêmes, mais ce n'est pas une impossibilité [1] ».

Augusti igitur Comte ea laus fuit ut viderit quantum re

1. In *Auguste Comte et le Positivisme*, p. 68.

sit hominibus se ipsos introspicere difficile; sed falso negavit illum introspectum fieri posse, et male contendit illum logice absurdum esse.

Adde quod, ut perbene vidit Joannes St. Mill, facultas est hominibus explorandi intellectualia phænomena, memoria adjutrice, non quidem statim ut fiunt hæc phænomena, sed paulo postquam sunt facta : « C'est là, en réalité, ait, le mode suivant lequel s'acquiert généralement le meilleur de notre science touchant nos actes intellectuels[1] ».

Ex quo fit ut id, quod ab Augusto Comte objiciebatur, non modo sit falsum, sed etiam inane. Scilicet ita res est : major psychologiæ pars ac melior, vel etiam apud hos qui nunc sunt, philosophos, facta est, adjutrice introspiciendi se arte, id est adjutrice memoria et cogitatione. Psychologia igitur de contradictione illa Comtiana haud valde curat.

Ita non modo experimentalem quamdam difficultatem in logicam mutavit Augustus Comte, sed etiam non sensit, aut sentire noluit hanc difficultatem facile expediri posse.

Denique non intellexit cognitionem objectivam intellectus totam pendere ex hac subjectiva cognitione a subjecto ipso cognita; neque psychologiam ullo alio modo fieri posse.

Illa autem Augusti Comte reprehensio Francisco Broussais minime placuisse videtur. Fecerat autem et ipse quasdam reprehensiones contra inspiciendi se artem; quibus reprehensionibus quoque hanc Augustus Comte addidit : « M. Broussais, inquit, aurait pu, ce me semble, aborder la question d'une manière encore plus directe, en prouvant immédiatement qu'une telle observation intérieure est nécessairement impossible[2] ».

1. *Id.*
2. In *Système de Politique positive*, IV, appendice, p. 219.

Franciscus Broussais autem, in libro post mortem iterum edito, hanc reprehensionem tacuit, et priores tantum dedit vituperationes.

Nos vero, non magis quam Franciscus Broussais, his rebus capimur, sed refutavisse breviter ea quæ Augustus Comte dixerat, non esse satis videtur. Nec enim quidquam antiquius Augustus Comte habuit quam objectionem illam, ad quam totiens revertit ut qui eadem dixerit quater, intra annos millesimum octingentesimum undevicesimum, et millesimum octingentesimum tricesimum septimum. Si in errore illum versatum esse credimus, id tamen quærendum est quo modo vir tam acutus natura in eumdem errorem totiens labi potuerit.

Jam oblata est occasio dicendi quo modo omnis socialis Augusti Comte philosophia rationibus et auctoritati uniuscujusque in societate adversa videretur. Neque is tantum dilexisset scholam theologicam Ludovici de Bonald, Josephi de Maistre et Hugonis de Lamennais, nisi eam vidisset, ante omnes alias, facientem contra « rationalismum individualem » duodeviccsimi sæculi ; neque tantum ideologos odisset, nisi sensisset eos defensores « rationis individualis ». Itaque ideo novam illam spiritualem auctoritatem scientiæ instituere conatus est, ut illam opponeret, quasi propugnaculum, inclinationibus periculosis et seditiosis uniuscujusque « individualis rationis. » Ab individuo enim perturbatio omnis venit et omne malum.

Neque cum individuo pugnavit tantum propter politicas rationes de constituenda societate, sed etiam quia vere credebat individuum esse nihil, illum ne esse quidem posse, nisi tamen in abstracto et in cogitatione metaphysicorum[1] ; nihil vere esse præter societatem ipsam omnium hominum, præter humanitatem ; in humanitate

1. In *Système de Politique positive*, I, 672.

tantum hominem fieri et esse, et animi facultates alere sui, et inclinationes eas exercere quibus aut se ipsum diligit aut ceteros homines; hominem denique esse plane ac perfecte, atque ideo concretum esse, nusquam nisi in societate.

Caveamus tamen ne falsa de his rebus opinione fallamur. Societate hominum existimat Augustus Comte nullam posse dari individuo præcipuam facultatem; societate creari nihil : sed id quod intus habemus, id et auget societas et fingit. — Ita omnia, ut semper, metaphysica responsa respuit, omnem ab nihilo creationem : at rursus respuit idem notionem individui, notionem hominis a societate abstracti.

Quod cum ita sit, facile intellegi potest cur Augustus Comte rejecerit introspectum ; ille enim introspectus non hominem inspicit in societate positum ; sed hominem ipsum speculatur ; quod aliter fieri non potest ; tum « facta individualia » videt tantum ille qui introspectu utitur, quæ facta non intelleget quid scientifice valeant, neque suspicabitur num in universum valeant illa.

Cum, exempli gratia, de loquendi facultate quæsitum est quia introspiciendi se ratione usi essent metaphysici, non senserunt quid in societate valeret illud inventum, neque ipsius societatis inventum esse : « Rien ne caractérise mieux, inquit, l'impuissance nécessaire des métaphysiciens, pour se placer au vrai point de vue philosophique, que les vaines tentatives par lesquelles ils se sont efforcés de représenter comme essentiellement individuelle une institution aussi pleinement sociale que celle du langage. On s'afflige de voir ce fallacieux régime fasciner un aussi bon esprit que Hobbes[1], jusqu'à supposer contre l'évi-

1. Thomas Hobbes in *Leviathan*, IV, 13. De Sermone : « Nobilissima autem et omnium utilissima fuit inventio sermonis, ex nominibus sive appellationibus et eorum connexione consistentis, quibus cogitata hominum conscribi, revocari in memoriam, et ab uno ad alium patefieri possunt, ad

dence que l'usage personnel des signes pour seconder la pensée, doit préparer et précéder leur emploi dans les communications mutuelles[1] ». Haec est igitur res psychologiæ socialis, quæ perperam idcirco judicatur, quia id unum quæritur : quid illa in individuo sit ?

Contra, qui de universo diceret quod in individuo inveniret, profecto is in errorem induceretur. Memoria enim tenemus Augustum Comte putavisse introspectu passiones explorari posse ; sed confestim hæc subjecit : « Encore même que chacun ait eu l'occasion de faire sur lui-même de telles remarques, elles ne sauraient évidemment avoir jamais une importance scientifique, et le meilleur moyen de connaître les passions sera-t-il de les étudier en dehors[2] ». Hic illam observandi rationem increpat quod individua sit ; pariter cum de introspectu loquitur in phænomenis intellectualibus ei crimini dat « d'engendrer presque autant d'opinions différentes qu'il y a d'individus croyant s'y livrer[3] ».

Tenemus nunc veram ac reconditam causam, cur introspectum Augustus Comte adeo odisset ; nihil aliud ex introspectu illo evenire potest præter rerum omnium in scientia perturbationem ; nam quid sit vere humanum, quidve fortuitum et soli homini proprium dinoscere nullo modo potest introspectus.

In politices ac morum rebus (quæ res nunquam sunt neglegendæ quotienscumque de Augusto Comte agitur introspectus nihil aliud est quam partes subtiliter dispiciendi, aut omnia, disputando, excutiendi consuetudo ; ita unius opinione detruditur omnium opinio ; unde fit ut in civitate turbentur omnia ac misceantur. Non modo falsus

eorum conversationem et utilitatem mutuam. Nam absque eo, non fuisset inter homines neque Res publica neque Societas neque Pactum. »

1. In *Système de Politique positive*, II, 237.
2. *Cours de Philosophie positive*, I, 32.
3. In *Cours de Philosophie positive*, I, 33.

est introspectus, sed exitialis etiam; cum enim perturbatur scientia aut ideæ perturbantur, omnia mox perturbantur in civitate; ex quo efficitur ut omnibus introspectus modis, seu qui ad scientiam, seu qui ad politicem spectant, semper ad civitatis perturbationem homines ducantur.

Multis igitur de causis Augustus Comte rejiciebat introspectum : omnis ejus ratio ac disciplina illam condemnabat introspiciendi se artem.

Denique postquam ipse condemnavit introspectum, rursus, verba Francisci Broussais usurpando, dixit propter illum introspectum extenuari nimium de intellectu studia cum non amplius curandum esse putemus quam hominem ætate adultum aut sano corpore et mente sana præditum.

Sæpissime enim Franciscus Broussais hæc notaverat[1], sed passim ; ad id autem revertit Augustus Comte, primum breviter[2], deinde amplissimis verbis[3].

« Broussais, inquit, a très judicieusement remarqué qu'une telle méthode, en la supposant possible, devait tendre à rétrécir extrêmement l'étude de l'intelligence, en la limitant, de toute nécessité, au seul homme adulte et sain, sans aucun espoir d'éclaircir jamais une doctrine aussi difficile par la comparaison des différents âges, ni par la considération des divers états pathologiques, unanimement reconnues néanmoins l'une et l'autre comme d'indispensables auxiliaires des plus simples recherches sur l'homme ».

Eodem pacto psychologi sibi observationem præcidunt animalium, a quibus nimirum non exspectari potest ut

1. In *op. cit.*, I, p. XXVI et p. 149-150.
2. In *Examen du Traité de Broussais. Système de Politique positive*, IV, appendice, 220.
3. In *Cours de Philosophie positive*, III, 539.

semet ipsi introspiciant[1]. Unde efficitur ut, dum biologia et hæc quæ est de naturalibus quæstionibus scientia comparare solent animal sanum ad animal morbo correptum, animal normale ad monstrum, animal parvulum vel etiam conceptum ad adultum, animalia ad animalia, metaphysica psychologia neque hominem ad hominem, neque ad animalia illa, quibus sunt, ut nobis, et ingenium et mens, comparet; nulla est psychologia morbida, nulla de animi motibus teratologia, nulla psychologia quæ utatur comparatione; omnes hi fontes intercluduntur isto introspectu, qui non modo est per se sterilis, sed prohibet etiam quin felicibus illis et numerosis utamur methodis, quas usurpare solent omnes illae scientiæ quæ comparationis auxilium advocant.

In eadem illa de facultate loquendi quæstione, quam supra diximus, male se metaphysici abstinuerunt comparatione hominis cum animalibus. Ita, is qui nihil aliud quam se ipsum observat introspectu, phænomeno vere sociali originem dat individualem; isque qui animalia omittit, qua ex biologica stirpe nascatur illud phænomenon, ignorat[2], nec videt amplius omnia animalium sollertium genera esse prædita facultate quadam loquendi, disjuncta a cogitandi facultate. Nullo modo autem fieri potest ut intellegamus unde loquendi facultas biologice venerit, ac quo modo ad facultatem cogitandi accommodetur nisi homines et animalia comparamus[3].

Quod cum ita sit, psychologico illi facto quod appellatur lingua aut sermo, vetus illa psychologia non intellegere potest socialem naturam esse, quia individuum tantum curat, neque originem biologicam, quod comparatione uti non vult.

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 539.
2. *Système de Politique positive*, II, 224.
3. In *Système de Politique positive*, I, 716.

Secundam illam reprehensionem omnes experimentales psychologi acceperunt benigne, isque qui Augusto Comte in psychologia heres fuit, Theodulus Ribot, totam illam, aliis tamen verbis prescripsit ; nemo igitur Augustum Comte est melius interpretatus quam Theodulus ipse Ribot : « Nous pourrions montrer, ait ille, que la psychologie ordinaire, en se restreignant à l'homme, n'a pas même embrassé tout l'homme, qu'elle ne s'est point souciée des races inférieures (noires, jaunes) qu'elle s'est contentée d'affirmer que les facultés humaines sont identiques en nature et ne varient qu'en degré....., que dans l'homme, elle a pris les facultés toutes constituées, et qu'elle ne s'est occupée que rarement de leur mode de développement, de sorte que, en dernière analyse, la psychologie, au lieu d'être la science des phénomènes psychiques, a pris simplement pour objet l'homme adulte, blanc et civilisé [1] ».

Id enim quod ab Augusto Comte objectum est sensus plenum est ac prudentiæ. Nulla igitur reprehensio inveniri potest gravior contra illam introspiciendi rationem, quæ quidem nullo alieno utatur auxilio.

Tertiam reperimus reprehensionem quæ, magis quam prior, Francisci Broussais propria videtur esse. Ostendit nempe ille « antecedentia physiologica » id est corpoream causam rerum quæ fiunt in mente, nullo pacto posse introspectu capi ; in illa objectione commoratus est ille, atque psychologos illos sapientissime ostendit, qui intra conscientiam suam se ipsos coercent, sensus quidem describunt, causis tamen physiologicis eosdem illos explicare nequeunt : « Ils remarquent, ait, une foule de sensations indéterminées, qui tantôt les porteront à la tristesse, tantôt à la joie, quelquefois à l'action, d'autres fois au repos,

1. In *La Psychologie anglaise contemporaine*, p. 26.

un jour à l'espérance, l'autre jour au désespoir et même à l'horreur de l'existence. Ils y trouveront tout cela sans se douter d'où cela vient, car les physiologistes ou plutôt les médecins... sont les seuls qui puissent le leur apprendre[1]. » Hæc Francisci Broussais Augustus Comte transcripsit et hanc reprehensionem valde comprobavit : « Cette analyse, inquit, rend parfaitement sensible l'impossibilité de parvenir, par ce mode illusoire d'exploration, à aucune découverte réelle. Je regrette de n'en pouvoir citer que quelques traits[2] ».

Ad hæc revertit postea in schola quadragesima positivæ philosophiæ et dixit : « qu'aucune fonction ne saurait être étudiée que relativement à l'organe qui l'accomplit ou quant aux phénomènes de son accomplissement[3] ». Id autem proprium fuit veteri psychologiæ neque unquam organum neque « physiologicum antecedens » curavisse. Jam singillatim illud reprehenderat Augustus Comte in omnibus singulis scholis de quibus jam supra sumus locuti. Theodoro Jouffroy et Victori Cousin et iis qui vere psychologi nominantur opposuit cum Francisco Broussais hanc reprehensionem quam modo diximus ; Caledoniis objecit illos non intellexisse inclinationes, quæ menti humanæ sunt insitæ, conjungi cum organis insitis et ipsis ; quapropter id quod contra philosophiam empiricam duodevicesimi sæculi tentaverunt, inchoatum, non perfectum reliquerunt.

Ea autam melius ad Condillaceos empiricos pertinent ; in eadem vero schola planissime transtulit ipse Augustus Comte ea ad Antonium Destutt, cui objecit, immerito tamen, quod ideologiam cum biologia conjungendam esse non vidisset.

1. In *op. cit.*, p. 58.
2. In *Système de Politique positive*, IV, appendice, p. 218.
3. In *Cours de Philosophie positive*, III, 540.

Id igitur objectum esse ab Augusto Comte communiter videtur ad æquales omnes ; falsa illa psychologica methodus (id est introspectus) non modo rem quam pernoscere vult tollit, sed etiam causam corpoream ignorat a qua res illa agebatur ; quod cum ita sit : « quel aliment, ait, pourrait-il rester à l'esprit, sinon une inintelligible logomachie, où des entités purement nominales se substituent sans cesse aux phénomènes réels, suivant le caractère fondamental de toute conception métaphysique[1] ».

Itaque animus ab omni realitate aut psychologica aut biologica semotus non jam quidquam comprehendit, præter notiones quasdam inanissimas potentiæ, vis, facultatumque, quas supponit in locum verarum rerum.

Sed nunc, ut semper, non hæc sunt utique probanda. Gratuito enim Franciscus Broussais et Augustus Comte acceperunt nullo alio modo explicari posse mentis res, nisi per physiologiam. Verumtamen, si notionibus ac motibus sunt causæ physiologicæ, sunt etiam præterea eisdem his rebus causæ psychologicæ, quas causas, perscrutando, videre perbene possumus. Sed cum uterque negaverit quidquam pretii in introspectu esse, aut in psychologia subjectiva, idcirco reprehensionem suam angustissimam fecerunt. Præterea, etiamsi introspectus causam organicam non videret, non idcirco habendus est introspectus quasi unica causa cur se ab omnibus scientiis psychologia sejungere voluerit. Sed ut statim solitudinis secretam illam psychologiam tæderet, tantummodo necesse erat ut physiologiam cerebralem homines auspicarentur.

His tamen omissis, probanda est, non aliter ac prior, nova illa reprehensio ; nam hodie non jam dubium est quin omnia quæ in mente fiunt, hæc eadem cum rebus biologicis antecedentibus conjungantur, quas psycholo-

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 541.

gia et perquirere et perquisitas perscrutari debet. Id autem psychologi omnes plus minus faciunt, nec quisquam nunc loqui auderet de « animo puro » vel de psychologia ab omnibus scientiis sejuncta.

Ita, quod metaphysica amisit, scientia id, quasi quæstum, accepit ; non jam facultatem quærimus, neque vim, sed « physiologicum antecedens », atque antecedens immutabile. Theodulus Ribot hanc reprehensionem, sicut priorem fecerat, iterum protulit : « Un grand résultat inquit est ainsi obtenu ; l'état de conscience cesse d'être une abstraction flottant dans le vide. Il se fixe. Rivé à son concomitant physiologique, il rentre avec lui et par lui dans les conditions du déterminisme, sans lequel il n'y a pas de science. La psychologie est ainsi rattachée aux lois de la vie et de son mécanisme[1]. »

Tali igitur modo Augustus Comte eam qua utuntur psychologi methodum reprehendit. Introspectum, ut vidimus, semper omnibus his verbis insectatus est, et ejus reprehendendi ratio sibi constantior apparet, dum minus vera ac justa fit... Rectius quidem egisset si psychologicæ rationis vitia monstravisset, neque ea universa uni introspectui imputavisset. Sunt horum vitiorum aliæ causæ de quibus supra diximus.

2

Reprehensis investigandi rationibus, Augustus Comte ad doctrinas communes venit. In hoc præcipue erratum fuisse putavit quod non recte vidissent quæ sit inter facultates adfectivas et intellectus facultates connexio[2]. Convenit hoc inter psychologos atque ideologos quod variæ

1. In *La Psychologie allemande contemporaine*, p. XII.
2. *Cours de Philosophie positive*, III, 542.

facultates adfectivæ levioris momenti sint et intellectu rectore utantur; falso quidem, quod non solum in animalibus, verum etiam in hominibus moderentur inclinationes vitam, earumque vilissimæ eædem et valentissimæ sint. Nulla est igitur humanæ naturæ notio in vanis illis doctrinis quæ hominem ratiocinantem ac proprio motu instinctuque carentem effingunt.

Metaphysici facultates adfectivas, cum de iis disseruerunt, pendere voluerunt ex uno principio, id est sympathia quadam, vel amore sui[1], quid illæ natura essent non dignoscentes, falsoque ea principia rationi subjecta esse docuerunt. Contraxerunt igitur psychologiæ provinciam, nec viderunt sensui obnoxiam esse cogitationem.

In quibus philosophis Augustus Comte illa in commune reprehendit?

Ex ideologis eligere modo negotiosum est; ii enim omnes originem informationemque idearum inquisiverunt atque adfectiva omnino neglexerunt.

Stephanus Condillac leviter attigit animi adfectus eosque resolvit in sensus jucundos vel molestos quos judicia subsequuntur[2]. Antonius Destutt, cujus Augustus Comte libros legerat, contendit informationem compositarum idearum exercitatione quatuor simplicium facultatum effici ac fere totam psychologiam retulit ad logicas quasdam conjunctiones.

Qui autem, sicut Claudius Helvetius, passionibus locum quemdam tribuunt, falso eas omnes ad amorem sui referunt; non enim intellegunt multiplicem esse adfectivam hominis naturam, ac præterea ex intellectu pendere credunt amorem illum qui, rationi et consilio conjunctus ac quasi instructus et doctus, dicitur utilitatis studium[3].

Summatim hoc Augusto Comte concedendum est uni-

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 543.
2. In *OEuvres choisies*, II, 358-359.
3. In *De l'Esprit*, IIe discours.

versam illam psychologiam ratiocinantem id quod in humana mente sponte fit atque impetu quodam, non intellexisse[1]. Quod igitur haud inepte Augustus Comte reprehendit.

Significatne Caledonium Adamum Smith cum de sympathia commemorat? Quod quidem verisimile est; si vero res ita se habet fatendum tamen est censuram illam nihil habere quod aut firmum sit aut definitum.

Imprimis enim Adamus Smith non omnes inclinationes ex sympathia pendere dixit; hoc tantum contendit multorum adfectuum hoc proprium esse ut quadam quasi contagione ex alio animo in alium diffundantur[2], amorem vero sui non esse negat sicuti Augustus Comte ipse alias agnoscit[3]. Rectius dixeris illum sympathiam rationi subjicere; suadet enim ut conemur, cogitando et agendo, congruere cum spectatore quodam æquabili; ille autem spectator quis esse potest nisi ratio? Quod vero nihil est nisi monitio quædam et norma in medium allata, nec fingit Adamus Smith sympathiam, ex necessitate, ratione regi.

Subtilitate igitur hic caret Augusti Comte reprehendendi ratio; morem gessit, ut solet, studio dialectice struendi et coordinandi.

Idem, ut ei sane videtur, reprehendendum est in psychologis, id est in Victore Cousin et Theodoro Jouffroy; cunctos enim, censura illa, quasi complectitur. Hic vero exceptiones quasdam adhibebimus[4].

1. « Voyez le titre de leurs grands ouvrages depuis Locke, inquit Lucianus Lévy-Bruhl ; *Essai sur l'entendement humain. Les principes de la connaissance. De l'origine de nos idées. Traité des sénsations. Idéologie.* » In *La Philosophie d'Auguste Comte*, p. 224-225.

2. In *Théorie des sentiments moraux*, I, p. 6, 7, 8, 9, 10.

3. In *Cours de Philosophie positive*, III, 553.

4. Mecum ipse quæsivi an ista vituperatione Cartesianam de adfectibus doctrinam Augustus Comte attingere voluisset, qua voluptas et dolor et animi omnes adfectus intellectui subjiciuntur. Cartesium vero non eo loco commemoravit, nec ætatis suae medicos qui, sicut Marcus Antonius Petit, cartesianæ de adfectibus doctrinæ assentiebantur, novisse ullo modo videtur.

Jure dici potest neque Victorem Cousin neque Theodorum Jouffroy adfectuum studio locum ullum tribuisse. Recte igitur sentit Augustus Comte quod ad illud attinet; neque in *Fragments Philosophiques*, neque in *Mélanges* neque in Dugaldi Stewart procemio, tribuitur sua pars adfectivæ psychologiæ quæ nunc tantum obtinet locum in illis quæ sunt de animo studiis; unice scilicet animum simplicem et unum, ratione et libertate præditum, Victor Cousin et Theodorus Jouffroy scrutati sunt, aut saltem scrutari crediderunt.

Falso tamen eidem ab Augusto Comte accusantur quod semper passiones et sensus intellectui subjici crediderint. Victor enim Cousin sæpe intellectum libertate præditum adversus passiones pugnantem ostendit, quibus interdum vincitur[1]. Multa autem ac quidem pulcherrima Theodorus Jouffroy de hac eadem voluntate contra passiones repugnante scripsit[2].

Recte illos Augustus Comte cum criminatus sit minimam studio passionum curam dedisse, non tamen easdem illas passiones intellectui ab illis subjectas esse dicere potest.

Non satis expressæ videntur esse vituperationes; ita ut, cum in universo bene judicarit, sæpissime tamen particulatim in errore sit versatus.

Quibus expositis vituperationibus, rationem ille reddere conatur cur tantum et in capite rerum æquales erraverint, atque complures hujus rei causas invenit. Hi primum nimirum, pollentiorem passionibus intellectum

1. « Si du monde physique nous entrons dans le monde moral, nous trouverons qu'ici la nature extérieure attaque le moi de mille manières plus redoutables les unes que les autres, par le corps intime au moi, par ses peines, surtout par ses joies, par toutes les passions, filles des circonstances qui nous environnent, et de l'univers entier qui nous accable. Pour se défendre, le moi n'a que lui-même, comme Médée. » In *Fragments philosophiques*, p. 225-226.

2. In *Mélanges*, p. 352 sqq.

rati, idcirco quantum pollerent passiones ignoraverunt « d'après la considération incontestable que c'est surtout par l'intelligence que l'homme peut être modifié ou perfectionné[1] ». Nulla enim fortasse fuit Augusto Comte ratio antiquior quam moveri homines maxime ideis atque societatum omnem machinam in communibus opinionibus vere niti : « La grande crise politique et morale des sociétés actuelles tient, inquit, en dernière analyse, à l'anarchie intellectuelle[2] ». Cum vero omnia ideis mutari et emendari posse in societate hominum philosophi vidissent, quid mirum si, utilitatis omnium servandæ causa, immodicum momentum intellectui in animo esse putaverunt, et præsertim intellectus studio incubuerunt.

Præterea alia produxit quæ ad philosophicam rationem magis attinent :

« La première cause, ait, consiste dans la vaine démarcation fondamentale que les métaphysiciens ont été, comme nous l'avons vu, forcés d'établir entre les animaux et l'homme, et qui n'eût pu certainement subsister, en reconnaissant la prépondérance réelle des facultés affectives sur les facultés intellectuelles, ce qui eût aussitôt diminué la différence idéale que l'on supposait exister entre la nature animale et la nature humaine[3]. »

Quod si hoc eclecticis convenit, non certe ideologis et Antonio Destutt de Tracy. Ille enim, quamvis de passionibus parum locutus sit, non tamen aliam naturam esse homini et aliam animalibus ratus est ; quin etiam ipse animalia ab hominibus non natura sed accidente dissidere, et psychologiam[4] hominis psychologia animalium confirmandam esse voluit ; ejus autem amicus et in

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 544.
2. In *Cours de Philosophie positive*, I, 41.
3. In *Cours de Philosophie positive*, III, 544.
4. In *Éléments d'idéologie*, p. 544, 1re édition.

ideologia sodalis, Petrus Cabanis multa et optima de animalium psychologia revera scripsit.

Quod ad Stephanum Condillac attinet, quis mirandum illum de animalibus tractatum ignorat? in quo Cartesii doctrinam vehementer vituperat et animalium ingenium ex necessitate cum cogitatione juncta ortum contendit esse[1], nedum animalis naturam ab hominis natura sejungat. Inique igitur, sicut reliqui ideologi ab Augusto Comte damnatus est.

Forsitan illum æquiorem invenies, si hac eadem vituperatione caledonios philosophos culpari posse putaveris ; neque enim Davidem Hume neque Adamum Smith de animalibus verba multa fecisse accepimus ; Adamo Ferguson soli quod psychologiam suam comparatione hominis cum animalibus firmaret, Augustum ipsum Comte gratulatum fuisse novimus. Ceterum ista vituperatione solum gallicos psychologos et ideologos lacessere videtur, quos eadem censura confuse complectitur.

Quod ad Victorem Cousin et Theodorum Jouffroy attinet, haud equidem infitior ab animalium natura eos naturam humanam sejunxisse ; de qua sejunctione supra dixi, sed modo ostendebam eos, si passionum studium neglexerint, passiones tamen quid possent novisse, nedum intellectui passiones subjicerent.

Diversa igitur cum æquitate de his rebus judicavisse Augustus Comte apparet.

Ideologos hinc postquam recte criminatus erat, intellectui præsertim studentes, quidquid inclinationis aut passionis in animo sit ignoravisse aut omisisse, eos falso accusat quod homini et animalibus eamdem esse naturam negaverint ; psychologos et illinc, cum jure accusavisset quod aliam homini et animalibus naturam esse putarent, falso eosdem intellectui passiones subjecisse cri-

1. In *Œuvres choisies*, IIe vol. (*Traité des animaux*), p. 489.

minatur. Rectius autem dixisset psychologos credidisse quamdam in hominibus naturam inesse, ut putant christiani duplicem, unam ratione præditam, qua proprie homines simus, alteram passionibus obedientem qua animalibus simus simillimi ; opinione vero illa quantumvis falsa haudquaquam eos prohibitos fuisse quominus passionibus animi studerent. De quo tacuit Augustus Comte, et coordinationis et unitatis immodice cupidus, cum ideologos et psychologos eadem vituperatione miscuisset, ideologos a studio passionum sese avertisse significat quasi psychologorum theologiæ indulsissent.

Causas alias insuper invocavit, ut rationem redderet cur ideologi et psychologi intellectui passiones subjecissent.

Omnes, ait, metaphysici conscientiam unam esse ac simplicem adfirmaverunt, ut mentem unam esse ac simplicem adfirmare possent ; conscientiam vero unam ac simplicem fore sciunt, ea tamen conditione ut intellectus rector unicus totius mentis sit[1]. Quam causam non magis quam superiores accipiemus.

Id enim minime curaverunt ideologi simplexne sit anima atque una, aut quæ sit natura ejus ; Antonius Destutt et ipse scripsit : « L'existence en nous d'un être appelé âme étant une chose qu'on ne peut pas prouver, elle n'est et ne saurait jamais être qu'une supposition plus ou moins gratuite, destinée à expliquer ce que nous ne connaissons pas[2] ».

Conscientiam igitur sui, unam ac simplicem, si ex conatu in homine oriri credit, non tamen judicat in hoc doctrinam de animo fulciri posse.

Quod ad Theodorum Jouffroy et Victorem Cousin attinet, eos facile putarem, cum de conscientia una et sim-

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 544.
2. In *op. cit.*, IV, 545.

plice disseruissent, theologicæ doctrinæ de anima indulsisse, sed non ideo putaverunt passiones statim intellectui subjiciendas esse ; eas vero esse nescio quas externas animi vires, non ad hominum sed ad animalium naturam pertinentes.

Erravisse igitur iterum in hoc judicio Augustus Comte videtur. Multum tamen et utiliter disserere posses si quæreres quare eclectici et ideologi tantum intellectus studio, sensibus omnino neglectis, sese dederint. Sunt enim multæ causæ cur introspectu solum utentes, magis intellectui quam passionibus ex necessitate studeamus.

Sunt enim magis pellucidæ et aptiores ad divisionem et descriptionem res intellectus quam passionis, atque etiam cum ex corpore et cerebro minus pendere videantur, eo facilius non solum in partibus sed in universo logice nostra capiuntur.

Cum autem introspectum vanum et inanem esse professus esset Augustus Comte, has causas ignoravit ; aliquas igitur vituperationes raptim coordinare maluit et persæpe, ut errorum causas redderet, hanc invocare rationem quæ « loi des trois états » dicitur.

Vituperationem denique quæ ad doctrinam intimam attinet, et de qua persæpe transeundo locutus est, rursus suscipit, qua metaphysicos criminatur obscurum et incertum quasi terminum inter intellegentiam hominum et ingenium animalium posuisse ; nec sine periculo, quoniam falsa illa ratione zoologica scientia partim etiam nunc corrumpatur [1].

Profecto Stephanus Condillac non hac censura vituperari potest qui ingenium animalium ex cogitatione nasci rebatur. Antonius vero Destutt, cum sensus et passiones animalibus tribueret et similem esse naturam homini et animalibus putaret, ingenium tamen animale pro machinæ

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 546.

artificio habebat, Petrus Cabanis et ipse ingenium idem a ratione sejunxerat et multi aetatis hujus medici plus minus in doctrinam Cartesii de ingenio animalium concesserant. Quanto magis Victor Cousin et Theodorus Jouffroy eamdem sibi vituperationem meruerunt qui duas naturas esse, alteram hominum alteram animalium crediderint!

Augustum ergo Comte fateamur hic adversus vulgatissimam doctrinam sese rebellavisse, et jure repudiavisse rationem illam qua ingenium animale, fabricatæ machinæ instar, immutabile dicitur.

« On a désigné, ait, par le mot instinct, la prétendue tendance fatale des animaux à l'exécution machinale d'actes uniformément déterminés, sans aucune modification possible, d'après les circonstances correspondantes, et n'exigeant ni même ne comportant aucune éducation proprement dite. Cette supposition gratuite est un reste évident de la fameuse hypothèse automatique de Descartes[1] ».

Augusti Comte doctrinam de ingenio animalium quæ propria ceterum Georgii Leroy est, licet rejicias et omne ingenium ex intellectu nasci neges ; vituperationem autem illam non omnino improbare poteris præsertim cum videris quid utilitatis Augustus Comte ex illa de animalibus doctrina ad psychologiam suam ceperit.

2. *Id.*, p. 548.

III

Sæpissime jam seu omnino erravisse, seu inique et doctrina sua quasi obcæcatus rem dijudicavisse, seu alienas doctrinas ignoravisse visus est Augustus Comte, certior vero et æquior erga magistros apparebit inter quos Petrus Cabanis et Franciscus Gall præcipue ab illo sunt laudati.

I

Cum admodum juvenis Petri Cabanis scripta novisset Augustus Comte [1], et maxime miratus esset, erravit, ut supra dixi, in eo quod illum falso ab ideologis sejunctum pro conditore habuit novæ cujusdam scholæ.

Petrus enim Cabanis et scientiam mentis cum scientia corporis simul colendam esse censuit, non ideo ut ideologiæ et ideologis adversaretur sed contra, ut propriis Antonii Destutt votis annueret et partem philosophiæ excoleret quam permagnam fore ille existimabat.

Quo errore notato libenter fatebimur Petrum Cabanis ab Augusto Comte merito laudatum esse : « Cabanis, ait, a conçu nettement le premier que l'époque était arrivée de soumettre les phénomènes moraux aux mêmes lois,

1. In *Lettres à Valat*, p. 135.

considérations et méthodes que les phénomènes physiques, ou, pour mieux dire, de faire cesser la différence fondamentale de nature qu'on supposait entre eux, malgré les nombreux et importants rapports qui les liaient évidemment, et dont il a donné de si frappants résumés partiels. En un mot, Cabanis a compris que les phénomènes dits moraux devaient dorénavant s'appeler cérébraux et nerveux, et s'étudier en conséquence ; il a fortement insisté sur l'importance et la nécessité de cette grande réformation[1] ».

His verbis memento Augustum Comte, haudquaquam Petro Cabanis gratulari quod animam corpoream esse contenderit ; — neque enim unquam contendit Petrus Cabanis. Solum gratulatur ei quod animam cerebro et per cerebrum toti corpori junxerat et rebus mentis communes naturæ leges illo pacto imposuerat.

Cum enim ideologi tantum menti, et physiologi tantum corpori studerent, intellexit optime Cabanis et illustravit consensum illum mentis cum corpore, quo conveniant res mentis et corporis atque congruant.

Quo consensu demonstrato, facillime potuit philosophiam empiricam duodevicesimi sæculi refutare[2] et doctrinam defendere qua ingenitæ inclinationes esse menti humanæ dicuntur. Perspexit enim « que les premières tendances et les premières habitudes instinctives sont une suite des lois de la formation et du développement des organes », et insuper addidit : « Celles qui se forment aux époques subséquentes de la vie se ressentent beaucoup plus du mélange et de l'influence des impressions relatives à l'univers extérieur, lorsqu'elles sont recueillies par les sens, mais c'est toujours à l'état des ramifications nerveuses, c'est quelquefois aux dispositions intimes du système cérébral qu'elles doivent leur naissance[3] ».

1. In *Lettres à Valat*, 135.
2. In *Système de Politique positive*, IV, appendice, 220.
3. In *loc. cit.*, II, 324.

Hac igitur ratione physiologicum fundamentum doctrinæ de ingenitis inclinationibus supponitur, et ingenitis facultatibus non vana in mente sedes, sed certa in corpore assignatur.

Præterea, in aliis doctrinæ partibus, se Petri Cabanis discipulum Augustus Comte profitetur ; nec immerito quidem, quoniam, auctore Petro Cabanis[1], ingeniose imitationis causas reddiderit eadem ratione « minoris actionis » qua consuetudo regitur et propriam de conscientia sui doctrinam ab eo mutuatus sit. Multo enim ante Augustum Comte, Petrus Cabanis conscientiam sui existimaverat conscientiam esse interiorem eorum quæ sunt a sensu ad cerebrum traducta et postea ad membra, sub specie motus redeunt. « Il est certain, ait, que dans l'organisation animale, le moi tel que nous le concevons, réside au centre commun ; que là se rendent en foule de toutes les parties du corps, notamment des extrémités sentantes internes, les sensations dont résultent ces jugements ; que de là partent pour les organes soumis à la volonté, les réactions motrices que ces mêmes jugements déterminent[2] ».

Quam doctrinam maxime similem esse putabis illi Augusti Comte doctrinæ qua conscientia sui conscientia functionum pariter pollentium et inter se congruentium esse dicitur.

Vitia vero et multa apud Petrum Cabanis, ex sententia Augusti Comte, sunt notanda.

Primumque eum accusat quod non omnino a metaphysica insania purgatus sit[3], id est, ut puto, quod ideolo-

1. Cf. Petrum Cabanis, in *loc. cit.*, II, 355 sqq., et Augustum Comte, in *Système de Politique positive*, I, 607, et in *Cours de Philosophie positive*, III, 523-524.

2. In *op. cit.*, II; 281.

3. In *Cours de Philosophie positive*, III, 533. « Quelque indispensable, inquit, qu'ait été cette réaction (la réaction positive du XVIII^e siècle), il importe de ne point méconnaître son vrai caractère et de ne pas oublier que la critique s'exerça toujours sur les résultats, sans jamais cesser d'admettre, en principe, la légitime suprématie de la philosophie métaphy-

giam, etsi eamdem physiologiæ subjiceret, propriam esse scientiam nunc etiam crederet, et Cartesii instar, corpus et animam nimium sejungeret.

Erravisse graviter in doctrina, præter id, Petrus Cabanis dicitur cum falso passiones visceribus assignaverit [1].

De quo tamen multum disputari posset.

Viscera enim pas sionum sedes esse non proprie dixit Petrus Cabanis sed e variis visceribus varios motus ad cerebrum adferri unde passiones et appetitus nascantur [2]. In passionibus igitur maximam vim et pondus visceribus esse cum professus sit, non multum a recente de motibus animi doctrina discessit.

Vitium autem minus dubium quod ad universum operis attinet, fines biologiæ et terminos quibus biologia a sociologia secernatur male constituit et « il a mal à propos confondu l'étude de l'homme individuel et celle de l'espèce humaine, dans son développement collectif [3] ». Quod probissime dictum est.

Sociologiam immo quasi biologiæ complementum esse existimavit et scribere ausus est : « Les lois de la morale découlent des rapports mutuels et nécessaires des hommes en société, ces rapports de leurs besoins physiques et moraux qui dépendent tous de notre organisation [4] ». Quæ si vera essent, ex biologia totam pæne sociologiam oriri et propria materie carere videres.

Nullum autem vitium ex sententia Augusti Comte gravius esse potest, irrumpentes qui biologos in sociologicas

sique dans l'étude de l'homme intellectuel et moral conformément au partage institué par Descartes ; on peut le vérifier jusque chez Cabanis, malgré son émancipation plus avancée. »

1. In *Système de Politique positive*, I, 670.
2. In *loc. cit.*, I, 60, 95, 101.
3. In *Système de Politique positive*, IV, appendice, 221.
4. In *op. cit.*, p. 65.

res sæpe vituperavit, et proprie illud Petri Cabanis vitium semel atque iterum notavit ut semel atque iterum vituperaret [1].

Multum enim cum in divisione scientiarum diversas naturæ partes definite dividere conatus esset, et omnem rerum naturam in sex genera distribuisset, non immerito futilitatis accusabat metaphysicos, si quis eorum deinceps ex uno principio totam rerum naturam ducere ausus esset. Petrus autem Cabanis, ab illa divisione et Comtiana philosophia adeo discessit ut sociologiam in biologia quasi mergere velit, et propriam sociologiæ vim ignorare videatur ; sociologis vero si certe noscenda sunt quæ ad vitam mentis et corporis attinent, non ignoranda tamen propria sociologiæ materies, id est quomodo homines in societate vivant et agant inter se.

Eidem denique Petro Cabanis id culpa est quod, cum cerebrum corporis esse partem, functione certa præditam intellexisset, haudquaquam intellexit multiplicem esse cerebri structuram et varias sedes in cerebro variis functionibus respondere [2] ; solum igitur et laboriose ostendit res mentis ex cerebro et corpore pendere [3].

Si secundam adversus Petrum Cabanis vituperationem de numero excerpseris, alias certe æquas esse existimabis ; e quibus deinde quasi per planam viam ad phrenologiam transibis, qua Franciscus Gall doctrinam Petri Cabanis continuavit et emendavit.

1. In *Cours de Philosophie positive*, IV, 345.
2. In *Cours de Philosophie positive*, III, 555.
3. In *Lettres à Valat*, 135.

2

Gall hodie haudquaquam notus est nisi quod scientiam vanam phrenologiam et de cerebro doctrinam nunc oblivione exstinctam condidit. Enituit tamen maxime inter clarissimos suæ ætatis physiologos ; multa et optima de nervis et cerebro scripsit, et phrenologica doctrina, quamvis vana sit, initium et ortum omnibus de cerebri et animi consensu studiis attulit.

Hujus præsertim laudabatur opus, *Anatomie et Physiologie du Système nerveux en général et du cerveau en particulier,* quod in libros diviserat quatuor, quorum primum et secundum, adjuvante Spurzheim, scripserat[1]. Difficile ideologus dici potest, cum adversus ideologos perpetuo repugnaverit, et proprie erravisse seu Claudium Helvetium et Joannem Locke qui omnia ex sensu oriri contenderent, seu Petrum Laromiguière in doctrina de facultatibus animæ, judicaverit[2]. Maxime autem psychologiæ scolasticæ de eisdem facultatibus inimicus visus est[3], et, quod attinet ad Victorem Cousin et Theodorum Jouffroy, ex necessitate eos non novit, ut qui longe antea fuisset.

Eum tamen ideologis ætatis suæ finitimum reperies si scholæ cuidam adjungere volueris.

Franciscus enim Gall magistros Antonium Destutt et Petrum Cabanis vindicare potest, quod ad exemplum eorum, scientiam mentis cum scientia corporis sociandam esse sæpenumero professus est.

Augustus autem Comte cum immerito Petrum Cabanis ab Antonio Destutt sejunxisset, Franciscum Gall cum Petro Cabanis conjungi posse ratus, eumdem cum Anto-

1. 1810-1819.
2. In *op. cit.*, II, 6 sqq.
3. *Id.*, II, 3.

nio Destutt conjungendum esse non intellexit ; prudentior et doctior Franciscus Broussais errorem illum vitavit et Franciscum Gall et Petrum Cabanis et Antonium Destutt pariter et vehementer est miratus.

Gratulatur præsertim Francisco Gall Augustus Comte quod consummatam de cerebro doctrinam genuerat et quod, cum Petrus Cabanis et Xavierus Bichat passiones visceribus et cerebro cogitationem etiam nunc assignarent[1], hunc antiquum errorem vitare potuerat et cerebrum unicam sedem passionibus et intellectui tribuerat ; postremo quod, doctrina Petri Cabanis emendata et perfecta, complures in cerebro esse partes variis functionibus mentis respondentes ostenderat : « En un mot, ait Augustus Comte, le cerveau n'est plus à proprement parler un organe ; il devient un véritable appareil plus ou moins complexe, suivant le degré de l'animalité[2] ».

Hanc autem doctrinam ut confirmaret, a duobus principiis Franciscus Gall est profectus quibus Augustus Comte omnino assentitur. Primum enim asseruit ille varias seu sensus, seu intellectus inclinationes ingenitas esse : « Les dispositions ou propriétés de l'âme ou de l'esprit, inquit, sont innées et leur manifestation dépend de l'organisation[3] ».

Rationem vero illam quasi ex duabus rationibus conjunctis constitutam esse facile perspicies.

Priore enim ratione asseruit ille ingenitas esse inclinationes mentis. Huic, ut supra dixi, non solum Augustus Comte assensus est, sed Francisco Gall maxime

1. *Cours de Philosophie positive*, III, 558-559. Quod ad Petrum Cabanis attinet Augustum Comte leviter erravisse supra dixi ; Xavierum vero Bichat revera constat viscera sedes passionibus tribuisse, nec satis notavisse quomodo viscera et cerebrum inter se in passionibus agant. Vide Xavierum Bichat, *Recherches physiologiques sur la vie et la mort*, in articulo VI, p. 61 sqq.

2. In *id.*, 556, et in *Lettres à Valat*, p. 136.

3. In *op. cit.*, II, 6.

est gratulatus quod adversus empiricam philosophiam repugnavit.

Posteriore, certæ corporis structuræ ingenitas illas inclinationes respondere dixit. Cum religione pectus imbutum haberet, et animam incorporalem esse crederet, nec accusari vellet quod animam esse negaret aut eam corpoream esse putaret, non contendit e structura inclinationes emanare sed structuræ certæ inclinationes certas quasdam respondere. Ita aut singuli homines aut genera tota si inter se pro pollentia mentis distent, et itidem pro structura intima cerebri distare eos necesse est.

Tali igitur disciplina, cum conjunxisset scientiam mentis cum biologia, et singulas mentis partes cum cerebri partibus certis, scientiam mentis melius ac Cabanis fecerat, inter positivas scientias redegit.

« Dès la naissance de la biologie, ait Augustus Comte, Gall tenta aussitôt d'en étendre le domaine normal jusqu'aux études les plus nobles et les moins accessibles, en brisant avec énergie le dernier lien qui subordonnait la philosophie naturelle à un régime théologicométaphysique[1] ».

Ratione autem secunda, mentis facultates simul multas et singulares esse Franciscus Gall dicebat ita ut et interdum separatim agere possint, etiamsi in communi actu sæpius consocientur[2]; quæ ratio quam magna sit, hoc argumento comprobat Augustus Comte, quod varii sunt nervorum et cerebri morbi, quibus morbis quæque mentis functio singillatim excitari solet.

Has ceterum duas rationes facile ostenderes, quasi ex eodem fonte, fluere ex una atque eadem doctrina de structura mentis et corporis; eam autem doctrinam ut paucis verbis contrahamus, dicemus varias mentis fun-

1. In *Système de Politique positive*, I, 670.
2. In *Cours de Philosophie positive*, I, 554. *Lettres à Valat*, 136.

ctiones variis cerebri partibus, et ingenitas illas functiones variæ cuidam partium structuræ, respondere.

Duabus illis rationibus Augustus Comte ita assensus est ut eas scientiæ mentis quasi fundamenta assignaret. « L'objet propre et élémentaire de la physiologie phrénologique consiste dès lors, inquit, suivant la formule fondamentale que j'ai établie pour la position générale de toutes les questions essentielles de physiologie positive, à déterminer, avec toute l'exactitude possible, l'organe cérébral particulier à chaque disposition[1] ».

Profectus autem a rationibus illis, rationem tertiam, Francisci Gall rectricem, itidem comprobavit ex qua variis functionibus variæ sedes assignantur, et separatim anima in variis functionibus cerebrumque in variis partibus dividuntur[2].

Duplex tertia illa ratio videtur esse ; ex qua variæ mentis functiones « soit affectives, soit intellectuelles sont plus élevées, ou si l'on veut plus humaines, et en même temps plus énergiques, à mesure qu'elles deviennent plus spécialement exclusives à la partie supérieure de la série zoologique[3] ».

Inde fit ut, cum dividatur anima in sensu et intellectu, sensus, hominibus et animantibus communes, pollentiores et intellectus, homini soli proprius, debilior, merito videantur ; qua iterum apparebit intellectus adfectibus obedire ut jam ex rebus ipsis apparuerat.

Deinde, ex eadem ratione, id est ex pollentia decrescente decernuntur : hinc in sensu duo genera adfectuum (penchants et sentiments) quos dicit Augustus Comte priores ex amore sui, alteros ex aliorum amore oriri[4] ; illinc in intellectu perceptivæ et cogitativæ functiones.

1. In *Cours de Philosophie positive*, p. 556.
2. In *Cours de Philosophie positive*, III, 556.
3. *Id.*, 557.
4. In *Cours de Philosophie positive*, III, 562.

Cerebrum autem ex eadem ratione, quasi supplementum et appendix medullæ dorsalis erit : « en sorte que la partie la moins développée et la plus antérieure du cerveau se trouve toujours affectée aux qualités les plus caractéristiques de l'humanité, et la plus volumineuse et la plus postérieure à celles qui constituent la base commune de toute animalité[1] ».

Postremo, — nec mediocris est, ut ab Augusto Comte, gratulatio — Francisco Gall gratulatur quod sub communem disciplinam scientiarum institutionem puerorum redegerit. Valde enim erravere qui inconsulte ex doctrina phrenologica putaverunt omnes res humanæ vitæ necessitate volvi, et puerorum institutionem vanam et caducam esse[2].

Res contra, quo ex pluribus elementis creatæ sunt, eo facilius mutari et emendari possunt, et eo magis varii adfectus apparent quo plures causæ sunt aut plura elementa.

Inde sequitur ut res mentis eo magis emendari possint quo ex pluribus causis exsistant : « C'est ce que Gall et Spurzheim, ait Augustus Comte, ont directement vérifié de la manière la plus indubitable par une lumineuse argumentation. Il leur a suffi, après avoir rappelé que les actes réels dépendent presque toujours de l'action combinée de plusieurs facultés fondamentales, de remarquer en premier lieu que l'exercice peut développer beaucoup chaque faculté quelconque, tandis que l'inactivité tend à l'atrophier, et en second lieu, que les facultés intellectuelles, directement destinées, par leur nature, à modifier la conduite générale de l'animal, d'après les exigences variables de sa situation peuvent altérer beaucoup l'influence pratique de toutes les autres facultés[3] ».

Physiologia igitur cerebri institutioni puerorum certos fines assignat nedum eam fieri posse neget ; et, cum mu-

1. *Cours de Philosophie positive*, III, 557.
2. In *Lettres à Valat*, p. 137.
3. In *Cours de Philosophie positive*, III, 565.

tabilem esse animam phrenologi professi essent, physiologia phrenologica contra ideologiam viros ingenio summo præditos ad arbitrium posse creari negavit, contra autem germanicam metaphysicam animos esse omnes liberos et vagantes.

Sic, ex doctrina phrenologica, cui hactenus Augustus Comte assensus est, mentis doctrinalem scientiam et puerorum effectivam institutionem orientem videmus.

Laudibus vero illis copiose impertitis, non a vituperatione tamen se abstinuit Augustus Comte.

Cum primum physiologiam cerebri, in scholis positivæ philosophiæ, vere positivam psychologiam esse crederet, et tali pacto psychologiam pro biologiæ provincia haberet, functiones certas mentis certis partibus cerebri a phrenologis assignandas ésse existimavit, sicut a biologis, functionibus corporis variæ corporis partes assignantur. Inde fit ut discipulos Francisci Gall et Franciscum Gall ipsum reprehendat quod non satis descriptione anatomica usi sint, et partes cerebri quæ partibus animi respondent non ex exploratione cerebri sed ex imperfecta exploratione mentis determinaverint ; phrenologosque vehementer agat ut, prætermissa primum animi descriptione, in descriptione cerebri, novam et vere objectivam rationem instituant : « Quoique en thèse générale, inquit, l'analyse des fonctions doive éclairer beaucoup celle des organes, la décomposition fondamentale de l'organisme en appareils et de ceux-ci en organes n'en est pas moins, par sa nature, essentiellement indépendante de l'analyse physiologique à laquelle, au contraire, elle est surtout destinée à fournir une base préliminaire indispensable, comme tous les physiologistes le reconnaissent pleinement aujourd'hui, envers tous les autres ordres d'études biologiques[1] ».

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 571.

Hac una via, id est biologica investigandi ratione freti, et cerebrum artificiose observando, et experimenta instituendo, vere scire poterimus quæ pars cerebri huic atque illi animi parti respondeat; quo certe opinandi modo, psychologiæ physiologicæ quasi conditor Augustus Comte apparet.

Constabat enim jam, cum tertium librum Institutionis Augustus Comte scriberet, Franciscum Gall omnino in descriptione cerebri, certas sedes animi partibus assignando, erravisse; quem tamen Augustus Comte et magistrum et prævium non quidem reprehendit quod sedes assignare tentaverit; ei contra gratulatur quod descriptione cerebri, etiam inordinata, vehementer hominum animos movit et opiniones subito excitavit[1]; immo scientiæ ipsi multum profecit nedum noceret « car l'esprit humain, ait Augustus Comte, est ordinairement beaucoup trop faible, et surtout trop peu disposé à supporter, d'une manière continue, la pénible contention qu'exige la combinaison d'idées très abstraites et par suite très indéterminées, pour que la création de la doctrine phrénologique et ensuite sa propagation et son développement, eussent été possibles, sans l'institution préalable d'une hypothèse quelconque sur le siège effectif de chaque faculté fondamentale[2] ».

Quod attinet ad methodum propriam, ex capitis externa figuratione, sedes assignandi, Augustus Comte eam, nec satis vehementer in epistula ad P. Valat vituperaverat. Existimabat enim aliquid ex ista investigandi ratione oriturum esse, dummodo non anteiret, sed anatomicæ et physiologicæ descriptioni succederet, et tantum præmaturam et, in præsenti tempore, inanem esse hanc methodum fatebatur[3].

His vero exceptis, in singulis Franciscum Gall erra-

1. In *Lettres à Valat*, p. 136.
2. In *Cours de Philosophie*, IV, 568.
3. In *Lettres à Valat*, p. 137.

visse, et totam ab integro phrenologiam creandam esse liberter proclamabat.

Si vero e descriptione anatomica cerebri ad numerationem functionum transieris, hic pariter phrenologos erravisse invenies. Franciscus enim Gall et G. Spurzheim maxime peccaverunt cum animi partes, sine disciplina rectrice, et quasi temere percensuerint : « Gall, ait Augustus Comte, en avait établi 27, ce qui sans doute était déjà exagéré ; Spurzheim en a porté le nombre à 35, et chaque jour il tend à s'augmenter, faute de principes rationnels d'une circonscription rigoureuse, qui puisse régler la verve facile des explorateurs vulgaires[1] ».

Quod si contra non repugnaverimus, mox unumquemque phrenologum creare simul functionem et sedem dummodo libeat, videbimus.

Immodica igitur et confusa est functionum numeratio; vana autem et inanis earumdem descriptio. In intellectu præsertim inclinationes vitiose a phrenologis et discretæ et designatæ sunt : « C'est ainsi, ait Augustus Comte, pour me borner à un seul exemple très prononcé qu'on a introduit une prétendue aptitude mathématique fondamentale d'après des motifs qui auraient dû également conduire à créer autant d'autres aptitudes spéciales à l'égard de la chimie, de l'anatomie, etc., si la boîte osseuse n'eût pas été préalablement distribuée en irrévocables compartiments. La caractéristique a même été établie avec une telle légèreté qu'on a choisi comme principal symptôme d'un semblable talent l'insignifiante facilité que tant d'esprits médiocres apportent dans la rapide exécution des calculs numériques les plus automatiquement formulés........ Ce qu'on nomme l'esprit mathématique loin de constituer aucune aptitude isolée et spéciale, présente toutes les variétés que peut offrir en général

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, p. 573.

l'esprit humain dans tous ses autres exercices quelconques, par les vraies combinaisons des vraies facultés élémentaires. C'est ainsi que tel grand géomètre a surtout brillé par la sagacité de ses inventions, tel autre par la force et l'étendue de ses combinaisons, un troisième par le génie du langage, manifesté dans l'heureux choix de ses notions et dans la perfection de son style algébrique, etc...[1] ».

Haud secus autem in sensus inclinationibus erravit G. Spurzheim qui cum jam caritatem et sympathiam inclinationes simplices haberet, inclinationem quamdam ad justitiam discreverit « quoique ce ne soit évidemment que le résultat de l'usage de ces facultés, éclairé, en chaque cas, par une convenable appréciation intellectuelle des rapports sociaux[2] ».

Quæ omnia vitia ut posthac phrenologi vitare possint, necesse est novam et numerandi et describendi rationem in studio functionum adhibeant.

Eos igitur primum et proprie rogat Augustus Comte ut clarorum virorum ingenio studeant qui vel in scientiis vel in artibus hac aut illa mentis facultate enituerunt, et tali pacto varias mentis facultates separatim illustrandas esse existimat. Hac vero investigandi ratione functiones ipsas numerari et describi posse sed non in actu observari posse fatetur : « Seulement, ait Augustus Comte, il s'agit ici de la détermination préalable des diverses facultés élémentaires, et non des lois de leur action effective[3] ».

Has leges si noscere quibus agant variæ functiones volueris, functionem in actu, id est in societate humana projectam, et agentem, scrutandam habebis[4].

Animi igitur partes in humana societate indagemus necesse est, easque eo facilius scrutabimur quod in omni

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 575-6.
2. In *Cours de Philosophie positive*, III, 575.
3. *Id.*, p. 576-7.
4. In *Cours de Philosophie positive*, III, 540.

societate humana, dummodo perfectior constanter fiat, propriam et peculiarem hominis naturam eminere, communem autem homini et animantibus naturam quasi decrescere videmus. Hic solum phrenologus qui tali investigandi ratione usus erit, ille vere mentis functiones et noscere et dividere et ordinare poterit.

Si ad intellectus studium se privatim applicare voluerit, intellectum in actu, id est in generatione et auctu variarum scientiarum, considerare debebit ; partes et varias intellectus non quidem a societate humana et studiis scientiarum revera gigni et quasi creari videbit, sed excitari tamen et explanari et augeri [1]. « En le considérant sous le point de vue dynamique, inquit Augustus Comte, tout se réduit à étudier la marche de l'esprit humain en exercice, par l'examen des procédés réellement employés pour obtenir les diverses connaissances exactes qu'il a déjà acquises [2] ».

Si autem ad studium sensus se libentius contulerit, illud eadem ratione et disciplina persequi debebit ; et inclinationes a societate auctas et explanatas in societate intueri. Sic, sociologia ducente, et intellectum et sensus et omnes animi partes plane et omnino noscet.

Sociologi vero cum, historicorum more et sub historiæ disciplina, investigationes suas ducant, psychologi quoque historiæ rationem in psychologiam positivam translaturi sunt ; quo pacto vera documenta reperient et de animi inclinationum pollentia et de earumdem ordinatione.

Communia equidem et quasi publica hæc præcepta facta sunt ; primus autem et in priore nostri sæculi parte, Augustus Comte ea edidit. Inde ei jure discipuli assignabuntur et Cæsar Lombroso et noster Gabriel Tarde et ceteri omnes qui in studio humanæ mentis, sociologico more, versati erint.

1. In *Cours de Philosophie positive*, IV, 446.
2. *Id.*, I, 30. Cf. *Lettres à Valat*, p. 90.

Has denique vituperationes et hæc investigandi præcepta duabus propriis rationibus firmavit Augustus Comte.

Priore rogavit phrenologos ut animalium cum hominibus comparatione, continuo uterentur, et psychologiam hominum, ut supra dixi, psychologia animalium confirmarent.

Secunda, ut mentis humanæ morbis et depravationibus omnibus diligenter studerent ; insania enim hæc aut illa inclinatio mentis sæpissime excitatur et augetur ; unde fit ut inclinationes simplices mentis apud insanientes emineant et quasi natura ipsa illustrentur.

Illud autem insaniæ studium regi jubet Augustus Comte illo optimo præcepto quod Franciscus Broussais nuper proposuerat : « Nihil in ægrotantibus patere quod non in natura sana lateat[1] ».

Hæc erat Augusti Comte in psychologicis rebus investigandi ratio, cum institutionem philosophiæ positivæ scribebat. Franciscum Gall autem etiamsi vehementer vituperaret, tum discipulus ejusdem et vere phrenologus dici poterat. Cujus originis et quasi filiationis ipse conscius, et prævium et magistrum Franciscum Gall fuisse sæpissime professus est, reveraque nihil tum in phrenologica ratione reprehendebat nisi quod nec satis biologica nec satis sociologica esset. Phrenologiam enim illam quam ædificabat ex biologia quidem originem et stirpem ducere in sociologia vero florere et perfici existimabat.

3

Sociologia vero condita, id est circa MDCCCLI annum, de phrenologorum investigandi ratione longe aliter sensit Augustus Comte et sociologia sua fretus de phrenologis et ipso Francisco Gall aliter judicavit.

1. In *Cours de Philosophie*, III, 578.

Erravisse jamjam Franciscus Gall, sicut Petrus Cabanis, dictus erat[1] ab Augusto Comte cum scientiam sociologicam appendicem et quasi supplementum biologiæ esse putavisset ; nempe non justum discrimen servaverat inter : « l'étude de l'homme individuel et celle de l'espèce humaine considérée dans son développement collectif[2] », qui error gravissimus eo pertinet ut sociologia tanquam singularis scientia tollatur[3].

Initia enim solum societatis humanæ de quibus nil novimus, existimat Augustus Comte excogitari posse ex physiologia hominis, sed societatem in actu ex alia ratione noscendam esse ; rem enim præcipuam de qua sociologia disserit, id est quomodo homines inter se agant, et cujus sint momenti priores in posteris, omnino biologia ignorare solet. Biologi autem si in res sociologicas sic irrumperent, multa detrimenta sociologiæ et multa vitia adferrent ; nam omnes societates humanas crevisse secundum male definitum ordinem et ex uno et immutabili archetypo constitutas fuisse existimarent. Nec alia ratione fretus, Franciscus Gall bellici ingenii, cum falso illud immutabile esse atque æternum crederet, originem et quasi stirpem in biologia frustra quæsivit[4] ; qui si eadem ratione et via qua utuntur rerum scriptores usus esset, ut sociologiæ studeret, planissime sensisset bellicum illud ingenium, progredientibus aetatibus, paulatim evanescere. Sequitur inter alia ut doctrinalis sociologia male a Francisco Gall intellegatur et itidem puerorum institutio cui præcepta immutabilia pro mutabilibus assignantur.

Non equidem infitiabor censuram illam Francisco Gall, sicut Petro Cabanis pariter convenire.

1. Circa annum MDCCCXXVIII, in *Systeme de Politique positive*, 221 appendice.

2. In *Système de Politique positive*, IV, 221 sqq., appendice.

3. In *Cours de Philosophie positive*, IV, 345.

4. *Id.*, p. 349, et cf. Gall, III, 191.

Franciscus enim Gall semper de institutione puerorum, de culta et inculta hominum vita[1], quasi de immutabilibus rebus et sine comparatione ulla locutus est ; et, cum inclinationem metaphysicam et inclinationem religiosam inesse menti existimaret quibus partes certæ cerebri responderent, sic pro biologicis et æternis duxit inclinationes fugaces quæ ex conjunctis inclinationibus exsistunt. Sociologiam idem ex biologia disjungendam esse non intellexit.

Quod si duraret et vigeret illa intellegendi ratio, aliquid auctoritatis ex errore biologorum psychologi certe ducerent[2] ; qui tametsi metaphysica ratione male instituantur, tamen res sociologicas ex biologicis ante disjungunt quam eis studeant ; nihil autem aliud fecerunt et Victor Cousin in Fragmentis et Theodorus Jouffroy in Miscellaneis.

Postquam vero quartum, quintum et sextum librum, in institutione philosophiæ positivæ, de sociologia scripsit, non solum a biologia sociologiam disjungendam esse existimavit, sed totam cerebri scientiam, sociologia duce et rectrice, ab integro reficiendam esse.

Ex sociologia igitur cum varias mentis functiones ut supra dixi novisset, et physiologiam cerebri, id est psychologiam positivam, ex ratione illa instituisset, anatomiam quoque cerebri ex physiologia ejusdem et sociologia ducere voluit : « Le vrai principe, inquit, de cette construction, consiste pour moi dans son institution subjective. J'y subordonne systématiquement l'anatomie à la physiologie, en concevant toujours la détermination des organes cérébraux comme le complément et même le résultat de l'étude des fonctions mentales et morales[3] ».

Tantum igitur abest ab eo ut descriptionem anatomicam

1. Gall, *op. cit.*, II, 138.
2. In *Système de Politique positive*, IV, 221, appendice.
3. In *Système de Politique positive*, I, 671.

a psychologia separatam requirat, ut contra ex doctrina nova anatomiam psychologiæ subjiciat, sedesque in cerebro variis inclinationibus assignet ex consideratione sola harum inclinationum, et, ex earumdem adfinitate, finitimas esse sedes existimet. « Il appartient maintenant aux anatomistes, inquit, qui sauront renoncer systématiquement à leurs dissections arbitraires, de compléter a posteriori mes solutions et mes preuves, en réalisant la séparation nécessaire des 18 éléments que je viens d'établir a priori dans l'appareil cérébral. L'existence m'en paraît aussi démontrée déjà que le comporte la seule méthode propre à instituer une telle doctrine[1] ».

Sic prioris suæ rationis proditor quam jam ante in institutione positivæ philosophiæ explanaverat, anatomiam physiologiæ et sociologiæ servam attribuit ; quin etiam discipulis Francisci Gall quos ante de eodem vituperaverat, gratulatur quod illa investigandi ratione usi sunt, libenterque huic vanæ geographiæ cerebri indulget propter quam postea merito a Joanne Stuart Mill est ipse vituperatus.

Nec zoologicam tamen psychologiam a philosophia sua relegavit, immo ullam inclinationem hominibus inesse ne contenderes vetuit nisi eamdem in animalibus intellectu quodam præditis primum inveneris. « L'inspiration sociologique, inquit, contrôlée par l'appréciation zoologique, tel est donc le principe général de cette construction biologique[2] ».

Ex censuris igitur illis novam investigandi rationem in psychologas res attulisse Augustus Comte videtur ; cujus psychologia in prioribus libris proprie biologica et ex quadam parte sociologica apparuit ; nunc vero in ultimis proprie sociologica et ex quadam parte biologica facta est ;

1. In *Système de Politique positive*, I, 730.
2. In *Système de Politique positive*, I, 673.

quod optime Lucianus Lévy-Bruhl in opere recenti de Comtiana philosophia ostendebat : « Ainsi, ait, la psycho logie qui dans le cours de Philosophie positive était biologique par essence, et s'achevait simplement dans la sociologie, devient, dans la Politique positive, sociologique par essence et n'est plus que secondairement biologique[1] ».

Facile ergo nunc perspicere licet quam erga Franciscum Gall agendi et judicandi rationem Augustus Comte habuerit. Cerebrali enim doctrina cum careret per quam sicut per pontem a biologia ad sociologiam transiret et sociologiam e biologia valde pendere ostenderet, phrenologicam primum doctrinam leviter emendatam a Francisco Gall mutuatus est et phrenologus ipse ad sociologicas res accessit. Condita autem sociologia, ad phrenologiam Francisci Gall regressus est ut eam iterum ex sociologica ratione emendaret. Quod ipse, causarum conscius, sic in primo libro Politices professus est : « Mes premières méditations, inquit, avaient profondément senti à la fois la portée et l'insuffisance de la fondation scientifique de Gall, comme de la tentative historique de Condorcet. Depuis une génération, j'ai toujours poursuivi leur commune refonte, mais d'abord sans reconnaître assez leur intime connexité, qui m'était encore trop confuse, quand j'écrivis, en 1837, le chapitre qui concerne la physiologie cérébrale dans mon ouvrage fondamental. L'entière terminaison de ce grand traité, par l'irrévocable réalisation du projet de Condorcet, attira seule mon attention systématique vers sa vraie relation, avec l'entreprise, presqu'autant avortée quoique sous d'autres formes, de mon second précurseur nécessaire. Quand j'eus fondé la sociologie, je compris enfin que le génie de Gall n'avait pu construire une véritable physiologie du cerveau, faute de connaître les lois de l'évolution collective qui seule en

1. In *La Philosophie d'Auguste Comte*, Alcan, MDCCCC.

doit fournir à la fois le principe et le but. Je sentis, dès lors, que cette tâche que j'attendais auparavant des biologistes appartenait à la seconde partie de ma carrière philosophique. Bientôt je reconnus même que son principal accomplissement devait précéder et préparer mon traité actuel, souvent promis déjà pour la systématisation directe de la science universelle[1] ».

De quibus verbis et ceteris similibus cogitanti mihi pellucide Lucianus Lévy-Bruhl in opere prius jam commemorato ostendit Augustum Comte, cum omnia ex sociologica ratione consideraret, tarde sed dialectice et quasi per philosophicam viam ad quamdam psychologiam subjectivam rediisse. Investigandi enim suam rationem cum in Politice explanavit eamdem vel sociologicam vel subjectivam æque nominavit ; quo nomine haudquaquam significare voluit rationem sociologicam finitimam esse illi subjectivæ et intimæ observationi quam vehementissime olim vituperaverat, nec secum pugnavisse de subjectiva ratione dici potest. — Quid vero subjectivi in ratione sociologica insit Augustus Comte significare videtur cum magis revera esse hominum genus quam singulos homines profiteatur[2]. In singulis enim hominibus cum facultates mentis non creari quidem sed excitari a societate crederet, nullum individuum in ipso observari posse existimavit. Inde sequitur ut ratio eadem quæ objectiva erat si individuum respexeris, si vero societatem, subjectiva dici possit. Intellexit enim Augustus Comte res mentis subjectiva ratione nosci posse ea conditione ut pro subjectiva quidem sed metaphysica observationem alteram subjectivam et sociologicam adhiberet : quod optime Lucianus Lévy-Bruhl explanavit. « Il voit,

1. In *Système de Politique positive*, I, 728-729. Cf. *id.*, p. 679 : « après avoir fondé la sociologie et constitué le positivisme, je me sentis enfin placé irrévocablement au vrai point de vue systématique..... ».
2. In *Système de Politique positive*, I, 672.

inquit, que la méthode subjective convient seule à la science des phénomènes psychiques. Mais à la place de la méthode subjective métaphysique par laquelle le moi a l'illusion d'analyser ses opérations et de saisir sa propre activité, il emploiera la méthode objective positive. Le sujet dont il fera l'analyse sera l'esprit humain ou, pour mieux dire, l'âme humaine considérée dans son évolution continue, c'est-à dire dans ses religions, dans ses sciences, dans sa philosophie, dans son langage et dans son art. Là est la matière d'une psychologie qui ne sera plus chimérique mais réelle, qui sera positive en un mot, comme la biologie dont elle dépend et qui s'achève en elle[1] ».

Investigandi vero rationem non solum vituperavit Augustus Comte sed doctrinam ipsam Francisci Gall aggressus est et phrenologum illum accusavit quod male dispositiones animi intellexisset definissetque.

Primum enim, separatim ex toto corpore cerebrum Franciscus Gall consideravit[2], et cum jure in cerebro non solum ideas sed inclinationes quoque sedem habere ratus esset, in eo peccavit quod non satis in universo materiem suam sibi proposuit, et animum suum unice attendit ad nobiles dispositiones quibus cerebrum sedem attribuerat; non intellexit igitur cerebrum et corpus mutuo effectu inter se multum agere; immo proprias cerebri inclinationes cum sensibus et motibus conjungi non perspexit.

In doctrina quam de animi functionibus Franciscus Gall ædificaverat, censuras illas quas adversus priores philosophos egit recte disjungemus ex iis rebus quas de eisdem inclinationibus sub propria auctoritate exposuit.

1. In *loc. cit.*, p. 242.

2. In *Système de Politique positive*, I, 673. « Antérieurement à Gall, les physiologistes n'étudiaient dans le cerveau que les fonctions immédiatement liées aux deux ordres élémentaires de relations extérieures, passives pour sentir et actives pour se mouvoir..... »

Ejus censuris Augustus Comte, sine dubitatione assentitur et Franciscum Gall comprobat vehementer vituperantem notionem inclinationis quam apud Petrum Laromiguière [1], aut in scolastica philosophia repererat. « Dans l'immortelle élaboration de Gall, inquit, sur les doctrines des psychologues et des idéologues, il n'y a de vraiment décisif que sa discussion négative ; il a pleinement démontré l'inanité radicale de leurs explications logiques, en appréciant les vagues facultés d'attention, mémoire, volonté, etc., qu'ils érigent en attributs élémentaires [2] ».

Magis fluctuat Augustus Comte cum propriam Francisci Gall doctrinam de variis partibus animi perpendit.

Quod ad adfectivas functiones, sicut amorem, amicitiam, superbiam, ambitionem attinet, quamprimum Gallianæ divisioni assensus, eas in duo genera diviserat (penchants et sentiments) quorum prius multo pollentius ad amorem sui, secundum debilius ad amorem aliorum pertinere existimabat.

Mutata vero sententia, divisionem illam functionum adfectivarum rejecit : « Sous ce dernier aspect, inquit, je dois ici signaler la principale erreur de Gall, qui m'a longtemps arrêté d'après la juste autorité d'un tel penseur, dont je n'avais pas assez réduit l'ascendant dans mon traité philosophique, quand j'y adoptai sa vaine distinction entre les penchants et les sentiments. » Et insuper reprehendit : « L'inanité de cette distinction se manifeste par l'impossibilité de l'appliquer nettement aux diverses

1. In *Leçons de philosophie*. Cf. Franciscum Gall, in *op. cit.*, IV, 1 sqq. « M. Laromiguière, ait Franciscus Gall, compose le système des facultés de l'âme de deux systèmes, le système des facultés de l'entendement, le système des facultés de la volonté. Le premier comprend trois facultés particulières : l'attention, la comparaison et le jugement. Le second en comprend également trois : le désir, la préférence et la liberté. »

2. In *Système de Politique positive*, I, 710.

fonctions affectives ; chacune d'elles constitue en effet un vrai penchant quand elle devient active, et un simple sentiment quand elle reste passive[1]. » In locum igitur hujus distributionis alteram supponit Augustus Comte ; in qua semper quidem utrum ad amorem sui an ad amorem aliorum pertineant functiones adfectivæ curat, sed unamquamque earum ex intimæ vis gradu patescere posse seu sub forma inclinationis seu sub forma passionis existimat.

Disceptatio posset esse an, talia locutus, multum ab intima Francisci Gall sententia Augustus Comte dissenserit ; G. Franciscus Gall enim in tertio operis libro unamquamque functionem, seu adfectivam seu intellectualem, ex sua vi propria sub specie desiderii vel inclinationis, vel passionis patescere posse professus est : « Un désir, un penchant, une passion, inquit, ne sont dans le fait que différents degrés d'activité d'une force fondamentale quelconque, soit intellectuelle, soit appétitive[2] ». Est igitur ut potius de verbis quam de re ipsa, in hac philosophiæ parte, a Francisco Gall Augustus Comte dissentiat.

Quod ad functiones intellectus attinet haud aliter Augustum Comte fluctuavisse videbimus.

Gall enim primum contenderat memoriam, imaginandi vim, animi intentionem, judicium, non proprias mentis partes sed communes esse qualitates quæ omnes functiones ab ingenio mathematico usque ad amorem aut ferociam comitantur ; ita ut quamque inclinationem et meminisse et attentam esse et imaginari et judicare posse crederet.

« Les facultés de l'âme, inquit, admises jusqu'ici par les philosophes ne sont que l'apanage de chacune des facultés fondamentales[3] ».

1. In *Système de Politique positive*, I, 680.
2. In *op. cit.*, IV, 328.
3. In *op. cit.*, IV, 323.

Voluntatem autem nec propriam partem animi nec communem qualitatem habebat sed multiplicem inclinationem in qua et animi intentionem et judicium et comparationem et cogitationem conjungi et componi existimabat [1].

Augustus Comte primum, auctore Gall, memoriam et perceptionem et imaginativam vim et animi intentionem et judicium, haudquaquam proprias functiones sed communes esse qualitates ratus erat : « On devra surtout remarquer, inquit, cette belle démonstration philosophique si pleinement satisfaisante d'où Gall et Spurzheim ont conclu que la sensation, la mémoire, l'imagination et le même jugement, enfin toutes les facultés scolastiques, ne sont pas en réalité des facultés fondamentales et abstraites, mais constituent seulement d'une manière directe les divers degrés ou modes consécutifs d'un même phénomène propre à chacune des véritables fonctions phrénologiques élémentaires et nécessairement variable de l'une à l'autre, avec une activité proportionnelle [2] ».

Posterius vero (Anno MDCCCLI) aliter locutus est ; neque memoriam, perceptionem, imaginativam vim animique intentionem communes omnibus functionibus qualitates esse contendit : « Gall, ait, ne fut pas plus heureux dans la conception qu'il s'efforça de substituer à ces puérilités doctorales (les facultés de mémoire, d'imagination, etc.) en représentant ces phénomènes généraux comme autant de modes d'action communs à toutes les fonctions cérébrales même affectives [3] ».

Quamprimum has varias mentis rationes (et percipere, et meminisse et imaginari et judicare) ex intellectu pendere Augustus Comte profitetur, neque ullo modo ad functiones adfectivas pertinere, sicut philosophia phre-

1. In *op. cit.*, IV, 341.
2. In *Cours de Philosophie positive*, III, 550.
3. In *Système de Politique positive*, I, 710.

nologia acceperat. Deinde illas particulatim describere conatur et simul ostendere eas compositas esse ex conjunctis et quasi mixtis animi partibus quas ipse discreverat, id est contemplatione, meditatione et elocutione : « La mémoire et l'imagination, inquit, sont donc autant que la connaissance et le jugement des attributs purement intellectuels comme on l'avait toujours pensé, mais il n'y faut pas voir davantage des fonctions propres que des fonctions communes. Ils constituent seulement des résultats composés dus au concours des vraies fonctions élémentaires de l'esprit qui sont définies ci-dessous [1] ».

Describet igitur Augustus Comte illas animi partes et ad elementa reducet.

Percipere et judicare composita facta habebit, quæ ex ministerio omnium facultatum fiunt et imaginari pariter et meminisse. Quo pacto, et quasi futuræ scientiæ præscius, in memoria discernit hinc imaginem biologico modo renascentem, illinc intellectus cogitationes et inductiones et collationes ita ut memoriam ipsam, id est propriam mentis facultatem, ad nihilum redigat : « Il n'y a de vraiment spontané, inquit, que la reproduction immédiate de chaque impression suivant la seconde loi de l'animalité (l'habitude). Or ce phénomène général de la vie animale diffère beaucoup de la mémoire proprement dite qui constitue toujours une opération intellectuelle [2] ».

Insuper de vi imaginativa addit : « A plus forte raison le concours habituel de toutes les fonctions spéculatives existe-t-il dans l'imagination dont les tableaux supposent fréquemment des combinaisons aussi profondes quoique moins abstraites que les méditations scientifiques ».

Cum de voluntate similiter opinatus esset, eam ex de-

1. In *Système de Politique positive*, I, 711.
2. In *Système de Politique positive*, I, 714

siderio cum deliberatione juncto, existere adfirmat et Franciscum Gall obliviscitur eamdem sed acutiorem voluntatis divisionem tentavisse.

Sunt profecto optimæ partes in illa vituperatione ; Augustus Comte sibi manifeste proposuit ut ad elementa redigeret animi facultates et res certas in locum harum facultatum subduceret. De memoria præsertim ita disseruit ut rectius nullo modo fieri posset. Facile tamen et facilius etiam esset ipsam Augusti Comte vituperationem culpare.

Contendit enim judicia nostra semper ex cooperatione partium intellectus, id est ex conceptione passiva, aut ex conceptione activa fieri ; ei vero si concesseris multa certe judicia longissimis mentis cogitationibus fieri, rectissime objicies nihil concipi nec excogitari posse sine judicio ipso, id est sine illa ratione mentis per quam aliquid de aliquo adfirmamus.

Revera vehementer erravit Augustus Comte judicium sic intellegendo, nam, cum judicii rationem redditurus esset, facultates, quæ ex judicio pendent, invocavit.

Quid vero valeat ista Comtiana doctrina de functionibus cerebri, nunc paucis verbis dicam.

Franciscum enim Gall, ut novimus, Augustus Comte reprehendit vehementer quod erraverit in eo quod functiones cerebri pro virtutibus certis habuerit e quibus actiones certæ efficiantur. Non intellexit enim Gall has facultates quasi vacuas formas esse et actiones certas non ex facultate sola sed ex concursu facultatum et temporum plerumque provenire : « C'est ainsi, inquit Augustus Comte, qu'il n'existe, à proprement parler, aucun organe du vol, puisqu'un tel acte n'est qu'une aberration du sentiment de la propriété... il en est de même pour le prétendu organe du meurtre comparé à l'instinct général de la destruction [1] ».

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 555 note.

Facultatem itidem proprie mathematicam eum negavisse vidimus et mathematicum ingenium in plures et communes facultates divisisse. Philosopho igitur noscenda est facultas simplex, nulla qualitate aut saltem minima qualitate prædita. Quam doctrinam cum lucide explanaret Augustus Comte non sentire non poterat metaphysicei eam finitimam esse neque Franciscum Gall non multum a scolastica philosophia discessisse cum furto causam ingenium furandi et homicidio ingenium interficiendi assignaret.

Expertemne ipsum vitii metaphysici omnino fuisse profitebimur ? Res magnam dubitationem habet.

Ex biologicis Augusti Comte libris jam tenemus quid notione functionis ipse complectatur.

Cum discernat hinc partem quamdam corporis et illinc partem quamdam mundi circumstantis quæ inter se agant, notionem functionis duplicem habere deberet, et scrutari non solum quo modo pars corporis a mundo, sed etiam quo modo mundus a parte corporis mutetur; illam vero mutationem, quasi nullius momenti omisit, et functiones solum appellavit corporea facta.

Functionem igitur significat esse id quod in corpore evenit ex actione mundi; qua definitione declarata, quæstionem illam, quam præcipuam in biologia esse judicat, his verbis proponit : « Etablir pour tous les cas, d'après le moindre nombre possible de lois invariables, une exacte harmonie scientifique entre ces deux inséparables puissances du conflit vital et l'acte même qui le constitue préalablement analysé; en un mot, à lier constamment d'une manière non seulement générale mais aussi spéciale la double idée d'organe et de milieu avec l'idée de fonction[1] ».

Quod si verba clariora etiam volueris, functiones dice-

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 210.

mus esse omnia facta quæ ex structura quadam corporis pendentia sub excitatione rerum fiunt ; quam autem notionem structuræ et functionis ab amico Blainville mutuatus, sub nomine staticæ aut dynamicæ, sæpe commemoravit et exposuit Augustus Comte quotienscumque, ex peculiari quadam scientia, philosophiam generalem ducere conatus est.

Quæstio eadem iisdem verbis ponitur de cerebri functionibus ; functio enim cerebri dici potest factum incorporeum quod, ex certa parte cerebri et structura certa pendens, sub excitatione rerum patescit ; ex quo fines fere pares et scientiæ cerebri et biologiæ toti esse apparent : « Lier constamment d'une manière non seulement « générale mais spéciale la double idée d'organe et de « milieu avec l'idée de fonction ».

Notio functionis sic eadem est corpori et cerebro, præterquam quod functio cerebri non solum a rebus sed a personis et societate humana excitatur.

Difficile quidem est infitiari doctrinam illam ad metaphysicam aliquantum pertinere. Novimus enim ex biologicis studiis notiones structuræ et functionis obscuras et quasi metaphysicas esse, dum functiones facta simplicia unaque habemus. Multum contra proficiemus in scientia corporis si in locum functionis ipsius res singulas subduxerimus et facta prima quæ in elementis corporis eveniunt scrutati erimus. More enim metaphysico agit qui respirationem functionem simplicem ex pulmone pendentem habet, et pulmonem ex natura munere suo fungi declarat, id est O absorbere et CO^2 exhalare. Ita notione functionis utimur ut nostram ignorantiam rerum tegamus, et, ut semper in metaphysica fit, falsa imagine scientiæ nosmet ipsos fallamus.

Qui vero per veras causas scire voluerit, ostendere illum necesse est respirationem ex plurimis factis vel physicis vel chimicis constare, quæ in elementis san-

guinis fiunt; neque, hanc viam secutus, ad primam et simplicem causam perveniet, cum illius elementorum functionis causas reddere nequeat; nostram tamen ignorantiam causarum extenuando, magnopere ille profecit.

Eadem verba facere possem de ceteris functionibus, quas Augustus Comte in hominum animo discrevit, id est conceptione activa, conceptione passiva, amore aliorum, comitate, et aliis; nec difficile ostenderem functiones illas ex factis simplicioribus conjunctis et mixtis exsistere; quæ facta noscenda nobis utique sunt, antequam statuere conemur quæ partes in cerebro rebus mentis respondeant.

Hanc cognitionem particularem rerum, in locum doctrinæ functionum supponere et ideologi Gallici et psychologi Anglici, his temporibus, tentaverunt; et ex associatione idearum omnem mentis rationem constitui contenderunt. Quam doctrinam si proprie perpendere velles, forsitan multis ejusdem partibus non assentires; hac tamen doctrina cum multum nos profecisse in descriptione mentis concesserimus, simul Augustum Comte multum erravisse in divisione et cognitione functionum mentis fateamur necesse erit.

Ut eorum quæ dixi summam faciam, Augustus Comte doctrina illa functionum metaphysicis prævalet cum functionem cerebri ad exemplar functionis corporeæ intellexerit et functionem certam structuræ certæ cerebri attribuere conatus sit, et sic agendo functiones mentis sub communibus mundi legibus restituerit; peccat vero et quasi sibimet impar apparet, cum sub nomine functionis, pro simplicibus rebus et unis habuerit seu virtutem seu meditationem, aliasque mentis rationes. Quamquam scolasticos et Victorem Cousin et psychologos metaphysicos vehementer vituperavit, nimium ipse scolasticis et psychologis metaphysicis vicinus est atque finitimus[1].

1. Hanc adfinitatem Lucianus Lévy-Bruhl in libro suo jure indi-

Sic Francisci Gall investigandi rationem et doctrinam, primum in institutione positivæ philosophiæ, deinde in institutione positivæ politices reprehendit ille atque emendavit.

cavit et librum Adolphi Garnier de eadem commemoravit *De la Phrénologie et de la Psychologie comparées* (1839.)

CONCLUSIO

Postquam superius contractum, coordinatum et explanatum est quidquid Augustus Comte apud æquales aut laudavit, aut vituperavit, velim ex hujuscemodi laudibus et censuris colligere cum propriam viri indolem qualis in ipsius psychologia patebit, tum etiam ostendere quænam res ipsum deficere debeant. Qua denique demonstratione breviter concludam.

Primum aliquam rationem vitii reddam apud Augustum Comte sæpius a me notati, id est judicii in opera critica nec satis certi, nec etiam satis recti, et plerumque amplitudine carentis.

Hujus vitii causa profecto fuit illius laborandi modus, commentandique scholas ; suas enim de philosophia positiva scholas uno tenore et quam citissime scribebat, nullo notularum, nullo ipsorum librorum auxilio ; quare necesse erat ut, si quem laudare aut vituperare vellet, memoriæ soli confideret ; quæ quidem ei tenacissima fuit ; sed aliquando tamen ex animo aliquid effluxit ac vacillavit ipse in judicando.

Altior quædam ratio obstabat quin aliorum sententias facile caperet, nempe ipsa mentis natura, adeo, ut nostrates aiunt « systématique » atque in synthesi potens : quippe doctrinæ suæ semper sententias adversas conferre et juxta doctrinam suam dijudicare solebat ; et intelle-

gentia acerrima ita ab omni parte solida cohærebat ut paulisper, judicandi causa, axem, ut ita dicam, mutare proprium, omnino non posset.

Sicuti viri solent « systematici », peccabat Augustus Comte in re critica.

Denique non infitior videri illum citius legisse libros, nec notitiam aliquot psychologorum a se confutatorum, satis magnam habuisse ; quod mihi aliter notandum fuit.

Cum igitur nunc noverimus qua ratione ille uti soleret in ceterorum scriptis considerandis, nunc videamus quæ fuerit illius psychologia.

1° Considerantibus nobis ea quæ de Victore Cousin ac psychologis scripsit, jam psychologiam ejus ad positivam scientiam tendere apparebit.

Id enim in utroque Augustus Comte reprehendit, quod psychologiam animæ aut interioris cujusdam personæ scientiam habuere, quod operam sive entitati cuidam, sive metaphysico principio navaverunt : prout ipse opinatur, scientia mentis, quemadmodum reliquæ scientiæ in nulla alia re quam in phænomenis phænomenorumque mutuo nexu versatur. Item scolasticam doctrinam respuit de potentiis vel facultatibus quas in elementa simpliciora strictioraque redigere laborat, et quamquam ipsius Augusti Comte de cerebri functionibus doctrinæ non deest metaphysica nota, nihilominus demonstravi, quo pacto scolasticae Comtiana doctrina præstitisset.

2° Quod de Caledoniis critice scripsit, inde concludere licet futurum esse ut Augustus Comte multis insitis inclinationibus in animo humano locum tribuat, amori sui, amori aliorum, sociali instinctui, neque eosdem conetur, gallicæ scholæ instar, ex unico fonte derivare. Sed enim hujusce modi sententiæ nunquam ei placuerunt, potiorque videtur Caledonica illa explicandi penuria quam vana Claudii Helvetii nostri cohærentia.

3° Quod, et diligentius quidem, de ideologis critice scripsit, perspicere licet illum, sicut Franciscum Gall et Herbertum Spencer inneitatis thesim defensurum, adversus facilem atque inanem novissimi sæculi empiricam philosophiam ; quippe gravissimum hoc in Stephano Condillac et Claudio Helvetio reprehenditur, quod humanam mentem quasi tabulam rasam finxerunt, iners nescio quid et externo sensuum imperio subditum. Præterea, quod Antonio Destutt de Tracy peculiariter — nec recte quidem — objicit, hunc ideologiam a reliquis scientiis sejunxisse, prænuntiat ipse suam psychologiam e biologia, chimia, physica et tota humanarum scientiarum serie pendere.

4° Omnia quæ, generali more, in tribus his scholis globatim animadvertit, haud minus perspicue Comtianum ingenium declarant.

Primum, intimam sui observationem respuit ; itaque Herberto Spencer ideo longe inferior, in psychologia subjectiva admodum nullus evadet.

Psychologiam enim, in priore vitæ parte, ratus nihil esse nisi scientiam omnino objectivam, reliquis biologiæ partibus similem, negleget illud inveniendi instrumentum, methodum nempe subjectivam, qua deficiente, aliam quamlibet observationem ne intellegere quidem possumus.

Subtilissime contra, atque eadem de causa intelleget cunctas utiles methodos adhuc a subjectivis psychologis contemptas, jam vero a biologis usurpatas, nempe varias ætates aut sexus æstimatos, hominum genera seu inter se seu cum animalium quaque specie collata.

Insuper luculentissime tum sensit ab interno observatore corpoream phænomenorum causam inveniri nullo modo posse ; unde necesse est ut positivus psychologus biologico auxilio perpetuo fretus incedat.

Et, quemadmodum Comtianæ methodi e Comtiano de

methodis judicio colligi jam possunt ita et propriæ quædam doctrinæ e judicio de doctrinis.

Inversa illa notissima definitione, « hominem esse intellegentiam organis utentem famulis » intellectum sensui subjiciet ideoque abhorrebit a psychologia novissimi sæculi, ut ita dicam, ratiocinatrice, quæ totiens negavit vim animi spontaneam.

Propterea simul licebit suum homini locum intra animalium seriem restituere, et eumdem tanquam primum animantium habere nedum persona privilegio quodam munita et divino spiritu prædita esse videatur. Inde sequetur primo rejici Cartesianam de instinctu doctrinam, cujus locum alia doctrina, nimium fortasse rationalis, certo rectior obtinebit.

Videtur ergo Augustus Comte, quod attinet ad tres scholas quas dixi, etsi in re critica nonnunquam parum subtilis, semper, ut adversator, studio dignissimus.

Num de psychologis male judicaverit, num de Antonio Destutt, parvi refert ; non sententiæ nunc æstimandæ sunt quæcunque ab illo impugnantur, propriæ vero sententiæ quibus ipse nititur.

5° Cum autem de magistris suis judicat, notiores ei sunt et quasi familiares eorum doctrinæ ; inde fit ut æquius judicet seu cum eos vituperat seu cum eis gratulatur.

Ex laudibus, quibus Petrum Cabanis et Franciscum Gall ornavit, facile perspicies quo modo, in institutione positivæ philosophiæ, scientiam mentis cum biologia conjunctam esse et mentem cum corpore, existimaverit. Ipse igitur doctrinam de ingenitis inclinationibus quasi in corporeo fundamento ædificabit, et biologica investigandi ratione in scrutandis animæ functionibus utetur.

De Francisco Gall proprie cepit rationem de positiva puerorum institutione ; ostendet ergo, ex doctrina phrenologica, partes cerebri usu et exercitatione mutari

posse, et phrenologicam institutionem medium esse modum inter institutiones quibus mens libera et vaga, et institutiones quibus serva et immutabilis denuntiatur ; sic in usu vitæ maxima commoda ex phrenologica doctrina provenire.

Duos autem magistros, Petrum Cabanis et Franciscum Gall pariter reprehendit quod sociologiam quasi biologiæ appendicem esse putaverunt ; Franciscum Gall vero in libris de philosophia positiva proprie vituperat quod functiones cerebri ex biologicis causis pendentes, in actu et quasi in societate projectas, scrutandas esse non intellexerat.

Immo, sociologia condita, totam psychologiam sociologica ratione ab integro creandam esse, ut supra dixi, existimat, et psychologiam suam quæ primum magis biologica quam sociologica fuerat, ita convertit ut biologicam partem omnino sociologicæ parti subjiciat.

Doctrinam tandem de functionibus mentis ita tractavit ut eam congruentiorem cum biologicis suæ ætatis doctrinis faceret ; cui nihil aliud objicias nisi quod, in illa doctrina, nimium metaphysicam veterem nunc etiam sequatur.

Hæc sunt communia lineamenta quæ facile duci possunt ex laudibus et censuris quibus priores aut æquales notavit Augustus Comte ; ipse enim, sic laudando aut vituperando, propriam philosophandi rationem ita nudavit ut, notando alios, ipse quasi per repercussionem notetur.

Psychologiam igitur positivam, doctrina fretam de ingenitis inclinationibus, ipse condet ; quam psychologiam, ut supra ostendi, primum biologico et quasi Galliano modo, deinde sociologico et vere proprio modo ædificabit. Duas ergo psychologias, diversas quidem, et nonnunquam inter se pugnantes, si eas particulatim perpenderis, apud philosophum nostrum invenies ; quæ vero, si in doctrina conditoris, inter se pugnant, tam facile tamen

sociari possunt ut persæpe nunc in æqualium philosophia conjungantur ; quod fit in illa biologica et sociali psychologia quam de Roberty constituere voluit.

Quæ tandem vitia in psychologia Comtiana nosmet ipsi notabimus ? Cum Alfredo Fouillée vituperabimusne eam quod mentis elementa simplicia esse et rebus corporis penitus dissimilia esse negaverit ? Hanc enim sæpe adversus Augustum Comte et discipulos ejus iteratam, iteravit Alfredus Fouillée in opere recenti de philosophia positiva, et profuse explicavit : « Les positivistes, inquit, en niant la différence de la psychologie et de la physiologie, niaient précisément une distinction fondée sur des faits positifs ; le fait élémentaire de sensibilité, plaisir ou douleur, est proprement irréductible à tout ce qui est purement mécanique, ou physique. De même pour le fait élémentaire de pensée[1] ».

Augustum autem Comte multum extra hunc errorem fuisse novimus. Elementa enim mentis cum simplicia et rebus corporis omnino dissimilia esse semper existimavisset, sic de sensu et motu, id est de duabus functionibus quæ ad vitam animantium attinent, in tertio libro de philosophia positiva est locutus : « Il est regrettable, inquit, que faute d'une direction philosophique assez fortement arrêtée, tant de hautes intelligences modernes se soient si longtemps consumées en efforts nécessairement illusoires pour imaginer d'incompréhensibles explications de l'irritabilité et de la sensibilité ou des fluides fantastiques, analogues à ceux des physiciens, ont rempli naturellement un office indispensable[2] ».

Insuper magis dilucide adjecit : « Aucun cas de ce genre ne m'a jamais semblé plus regrettable que celui de l'illustre Lamarck, employant avec l'admirable naïveté qui

1. Fouillée, in *loc. cit.*, 145.
2. In *Cours de Philosophie positive*, III, 488-489.

le caractérisait toujours, son beau génie philosophique à forger de vaines hypothèses physiques pour expliquer la sensibilité, sans jamais s'apercevoir que, à quelque degré de complication qu'il élevât graduellement ses suppositions gratuites, il parvenait tout au plus à représenter vaguement la transmission mécanique des impressions produites sur les extrémités nerveuses, mais nullement à rendre raison de l'acte de la perception[1] ».

Non igitur Augustum Comte vituperare licet quod res mentis et res corporis eadem doctrina permiscuerit; neque has res miscere quidem poterat, quippe qui philosophiam omnibus libris explanavisset qua varias naturæ partes quasi interruptas et penitus sejunctas esse asserebat.

Omnem enim coordinationem mentis et corporis in unum ex doctrinæ suæ propriis præceptis respuisset Augustus Comte.

Sed rectius aliquis diceret illum duo genera in biologicis studiis discrevisse, unam biologiam quæ ad modos inferiores vitæ, id est chimicos, alteram quæ ad sensus et motus, et nervos et cerebrum attinet. Quod cum ita sit, sibi Augustus Comte maxime constabat, cum psychologiam biologiæ esse partem profiteretur; phrenologiæ scilicet sub nomine, res psychologicas scrutabatur quibus eadem ac sensibus natura est, id est incorporea vel psychica natura.

Censura igitur Alfredi Fouillée sæpissime adversus Augustum Comte immerito iterata, ex errore quodam et ambiguitate pendet; elementa enim mentis simplicia et rebus corporis dissimilia esse existimavit Augustus Comte; neque eum res mentis cum rebus corporis miscuisse dicere possumus, ex eo quod pendere mentem ex corpore cum biologis et psychologis ætatis nostræ asseruit.

1. In *Cours de Philosophie positive*, III, 489.

Immunis ergo sit a censura illa noster philosophus.

Vitiosa tamen apparet in eo illa Comtiana psychologia quod studium subjectivum et singulare cogitationis, passionum, totiusque mentis prætermittit. Est, fateor quidem, ut intima observatione sui corpoream causam psychologus assequi nequeat ; superest tamen ut elementa idearum et passionum assequatur, partes varias argumentorum subtiliter dividat, et quo modo inter se jungantur ideæ sentiat. Quæ omnia Augustus Comte, cum sibi intimam sui observationem omnino negavisset, ignoravit

Caledonicam autem scholam, quam se tantum admirari profitebatur, si re ipsa novisset, certe Thomam Reid et Dugaldum Stewart maximam cepisse utilitatem vidisset ex introspectu illo quem ipse spreverat ; forsitan et fuisset aliter de observatione intima locutus.

Herbertus Spencer igitur, inter alia crimina, jure illum criminatur quod psychologiam subjectivam prætermiserit nec parum Augusto Comte præstat ipse in eo quod psychologiam illam tractavit : « La plus importante, ait, de toutes les parties de la psychologie, celle qui consiste dans l'analyse subjective de nos idées, est regardée par Comte comme absolument impossible. Dans un ouvrage intitulé : Principes de Psychologie, dont la moitié est subjective, j'ai exprimé avec force ma croyance à une science subjective de l'esprit[1] ».

Liquet enim in illo opere psychologico Herberti Spencer maximam partem ex subjectiva illa investigandi ratione ortam esse, quam vanam et caducam Augustus Comte dicebat.

Psychologia ergo Comtiana manca et quasi debilis jure videtur in eo quod intima sui observatione et disciplina vere subjectiva caret.

Difficilem autem observationem sui et nimium singu-

1. In *Classification des sciences*, p. 120. 8e édition.

larem esse non equidem infitior ; sed tamen ex observatione illa quasi ex fonte largo maximam partem psychologicæ scientiæ exundare dicam ; immo nullam mentis scientiam futuram esse nisi subjectiva scientia ejusdem antecedat.

Censuras tamen censuris cum facile addideris, et vitia hujus psychologiæ ostenderis, jure tamen profiteberis Augustum Comte, quid esse deberet studium mentis, primum aut inter primos intellexisse.

Petiit enim ut psychologi a rebus metaphysicis se averterent et rebus naturæ studerent ; res mentis cum rebus cerebri et totius corporis conjunctas esse ostendit ; animam inde et phænomena totius mentis sub communem biologiæ disciplinam redegit ; psychologiam comparatam pæne primus instituit, et psychologos vehementissime monuit ut variis gentibus humanis, variis ætatibus et ipsis animalibus diligenter studerent ; postulavit ut biologico more observationem et experimentationem usurparent et non solum res communes et ex natura factas sed res eximias et portentosas scrutarentur.

Postremo psychologiam socialem jam in philosophiæ positivæ institutione sed præsertim in politice positiva instituit ; et psychologiam illam frenari et quasi duci jussit a psychologia animantium, ita ut nulla functio mentis in humano genere et hominum societate comperta, diceretur ingenita nisi eadem in animantibus reperta fuisset.

Qui autem psychologiæ objectivæ, primum biologicæ deinde socialis, disciplinam et rationem tam lucide intellexit, veniam ei facillime dabis cum psychologiam subjectivam prætermiserit, præsertim cum eumdem adversus subjectivos psychologos vehementer et merito repugnavisse memineris.

Magnus igitur Augustus Comte haudquaquam suis viribus minor est cum mentis scientiam novam invenire

conatur ; ejus biologiæ psychologia illa egregie respondet et sociologiæ et omnibus scientiis quarum disciplinam et investigandi rationem assignavit. Forsitan et illi laus debetur major, quod disciplina psychologiæ positivæ tam lucide ab eo intellecta fuit, eodem tempore quo a metaphysicis vindicabatur et neque a biologis neque a sociologis adhuc explanata erat.

Omissis ergo diversis Comtianæ psychologiæ momentis, si eamdem biologicam et socialem psychologiam, ut discipuli fecerunt, eadem doctrina consociaveris, parentem gallicæ psychologiæ nostræ Augustum Comte existimabis ; neque immerito, nam revera fuisse prævium et Hippolyto Taine et Theodulo Ribot, et Petro Janet et Alfredo Espinas et Gabrieli Tarde eum dicere posses.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. IX Kal. Januarii ann. MDCCCC,
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. CROISET.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX

CARNUTI, APUD DURAND, TYPOGRAPHUM.

CARNUTI, APUD DURAND, TYPOGRAPHUM